DE INDOLE ATQUE AUCTORITATE EPIMYTHIORUM BABRIANORUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGA
QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE REGIMONTANO
RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ERNESTUS HOHMANN,
WORMDITTENSIS.

REGIMONTI
EX OFFICINA HARTUNGIANA.
MCMVII.

Gedruckt mit Genehmigung
der philosophischen Fakultät der Albertus-Universität
zu Königsberg i. Pr.

Referent: Geh. Reg.-Rat Prof. Dr. Ludwich.

Margaretae

uxori carissimae

sacrum.

Inter Babrii fabulas CXXIII codice Athoo servatas[1]) LI inveniuntur,[2]) quibus epimythia quae vocantur subiuncta vides. Versus[3]) sunt vel plures vel unus,[4]) quibus fabula quid sibi velit demonstretur.

1) de fabulis, quae codice Vaticano et tabulis Assendelftianis nobis traditae sunt, infra disseram.

2) sunt autem fabulae 4. 5. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 18. 21. 22. 23. 24. 29. 31. 33. 34. 35. 36. 37. — huius vero fabulae epimythium omnes ante Rutherfordium editores praeterierat — (cf. Babrius edited with introductory dissertations, critical notes, commentary and lexicon by W. G. Rutherford, London 1883 p. 44) 38. 40. 41. 43. 44. 47. 50. 52. 56. 59. 60. 64. 65. 67. 71. 72. 79. 81. 82. 83. 84. 85. 87. 94. 96. 98. 103. 107. 111. 116. 119.

3) praeter epimythia versibus inclusa pedestria quoque leguntur codicis Athoi (et Vaticani) fabulis longe plurimis addita, quae iam a metricis distinxit ratione scribendi codicis A. librarius; (qua de re conferas Dindorfium Philol. vol. XVII. pag. 321.) Videntur haec pedestria epimythia alia aliunde petita. Epimythium enim fabulae codicis A. 103. additum idem est, quod praebet Ps. Dosithei fabula 6. (cf. Dosithei magistri interpretamentorum lib. III. ed. E. Boecking, Bonn 1832 pag. 29.) et fabulae codicis A. 81. affabulatio pedestris eadem atque paraphrasis Augustanae fabulae XIV. (cf. *Μῦθοι Αἰσώπειοι* ed. Jo. Gottl. Schneider, Breslau 1812 pag. 10.) Seriorem graecitatem plurima prae se ferunt, dura saepe eorum oratio est insolitaque, difficilis et molesta verborum structura. Versus persaepe in iis pellucentes iam Hertzbergius cognovit; conferas hac de re quae exposuerunt ille (Über den Begriff der Fabel ihre historische Entwickelung bei den Griechen, Halle 1846 p. 140) et Kellerus (Untersuchungen über die Geschichte der griechischen Fabel, Jahrb. f. klass. Philol. Suppl. IV p. 412.)

4) epimythia longe plurima (XXXI) versus duos amplectuntur, XIII tres, quattuor III, unum IV.

Quibus de versibus Babrii sint necne viri docti alii aliter diiudicaverunt. Atque Boissonadius, qui primus Babrii fabulas edidit, epimythia illa LI fere omnia Babrio tribuenda ratus in contextum recepit.[5] Boissonadium deinde Weisius et Orellius Baiterusque secuti sunt, qui ipsi quoque nihil fere in epimythiis haeserunt.[6] At Duebnerus epimythia in dubium vocandi initium fecit. 'Poëtam,' inquit,[7] 'epimythia rarissime subiunxisse fabulis cum ex artis norma apparet, quam et admiserunt optimi quique et ratio praecipit, tum ex paraphrasibus . . .' et 'interpolatores epimythia multa fabularum artem perdentia choliambis saepe malis et dictione non Babriana conceperunt.' Reiecit autem Duebnerus epimythia haec: fabb. 9. 13. 21. 22. 43. 70 (vs. inde a 6. usque ad 8.) 72. 81. 82. 85. 96., quia et additamenta essent mala atque superflua et vitiorum plena metricorum. Duebnero C. Fr. Hermannus assensus est, qui in recensione illius libelli Duebneri sic fere:[8] 'die Epimythien zeigen deutliche Spuren

---

[5]) in maiore editione anni 1844 de uno dubitavit epimythio fab. 71. (cf. Babrii fabulae iambicae CXXIII, Paris 1844 pag. 132). In editione deinde minore eiusdem anni plura iam epimythia videntur ei displicuisse. Ubi locutus 'de epimythiis prosaicis, quae homines recentiores et plerumque balbutientes Babrianis assuerunt versibus' pergit: 'Ac ne cuncta quidem epimythia metro ligata Babriana esse praestiterim' (cf. Babrii fabulae iambicae, secunda editio, Paris 1844 praef. pag. I.)

[6]) Weisius epimythia fabb. 29, 50 reiecit, Orellius Baiterusque fabb. omnium epimythia retinuerunt (cf. Babrii fabulae choliambicae ed. C. H. Weise, Lipsiae 1845 pagg. 20, 32 Babrii fabellae iambicae CXXIII ex rec. J. Fr. Boissonadii ed. J. C. Orellius et J. G. Baiterus, Zürich 1845 pagg. 5—74).

[7]) cf. animadversiones criticae de Babrii μυθιάμβοις scripsit F. Duebner, Paris 1844 pag. 18. 30.

[8]) cf. Jahrbücher für wissenschaftliche Kritik, Berlin 1844 pag. 817.

späterer, selbst christlicher Fabrik, wohin wir die schon von Dübner gerügten *πεποιθήσεις* (XLIII, 19) rechnen.' Tum Lachmannus ex epimythiis illis LI, quae in codice A. leguntur, XXVI delevit,[9]) quia epimythia 'absurda et imperite scripta' tam anxio poëtae adscribere non liceret. (cf. Babrii fabulae Aesopeae ed. C. Lachmannus et amici Berlin 1845 praef. XIV). Ex turba deinde virorum doctorum, qui eodem anno, quo Lachmannus Babrii fabulas edidit (1845), studia in fabulis modo repertis tractandis posuerunt, diiudicantes de indole atque auctoritate epimythiorum Babrianorum hos commemorare liceat: Bernhardyum 'Am einfachsten steht es um die von Dübner angeregte Beurteilung der Epimythien. Sie hängen den Fabeln als herkömmliches Übel an. Die Mehrzahl kann zwar ihren trivialen Ursprung nicht verleugnen und schmeckt nach bürgerlichem Hausverstand. Einige Stücke jedoch mögen aus Gnomologien herrühren und treulich beigeschrieben sein. Babrius selber besass zu viel Geist und Geschmack, um nicht die praktische Regel in die Fassung der Fabel, für einen aufmerksamen Leser hörbar, zu verflechten.' (Allgem. Litt. Zeitung vom Jahre 1845, Halle vol. 2. pag. 860.) O. Schneiderum 'Die prosaischen Epimythien fand der Sammler schwerlich vor. Auch die poëtischen rühren wohl zum Teil von ihm her.' (Neue Jenaische Allgem. Literaturzeitung 4. Jahrgang pag. 535.) Th. Fixium 'A cette occasion je dois déclarer, que je partage entièrement l'avis de M. Duebner, qui rejette, comme des interpolations, la plupart de ces lieux communs (*ἐπιμύθια*), qui ne tiennent pas au fond même de la fable. En

[9]) sunt autem epimythia fabb. 5. 13. 21. 22. 23. 24. 29. 31. 43. 47. 50. 52. 56. 60. 71. 72. 79. 81. 84. 85. 87. 94. 96. 98. 103. 111.

effet le plus grand nombre de ces morales sont contraires à la nature de l'apologue tel que le conçoit Babrius, qui voulait avec raison, que la conclusion sortit de l'ensemble même du recit. Elles ont dans notre recueil souvent une couleur chrétienne; la moitié des fables en manque; Suidas n'en cite jamais, et il est permis d'en conclure qu'elles ne se trouvaient pas dans sa collection; le Codex Vossianus, qui rapporte la fable 84, en omet la morale; joignez à cela un langage souvent incorrect, une versification malhabile ou grossière, défauts, que ne rachète nulle part un trait saillant ou une forme exquise, qui pourrait de noter la main du maître: de toutes ces preuves, je n'hésiterais pas à conclure qu'il faut mettre la plus grande partie de ces morales, sinon toutes, surle compte de celui qui a remanié et arrangé à sa façon notre recueil.[10]) (Revue de philologie tom. I Paris 1845, pag. 63.) Hertzbergium 'Wo immer bei Babrius ein Epimythium, ausser in der Handlung verwebt zu sein, auftritt, erweist es sich schon durch seine nachlässige metrische Form, noch mehr aber durch seine Seichtigkeit und sein gänzliches Missverhältnis der Fabel als späterer Zusatz einer umarbeitenden Hand (v. commentationis supra laudatae pag. 140).

Post Lachmannum Lewisius Babrii fabulas edidit anno 1846. Epimythia vero non tam parvi esse pretii putavit quam ante eum editores atque ex LI illis longe plurima, utpote quae vere Babriana essent, in contextu retinuit.[11]) Similiter fere Passe-

---

10) idem fere de epimythiis Babrianis iudicavit Piccolos in Revue de philologie tom. I. pag. 257.

11) cf. Babrii fabulae Aesopeae rec. Lewis, Oxford 1846. Aliqua tantum epimythia interpolatoris esse censuit (praef. p.VII), in quorum numero fabb. 13. 38. 71. 72. 84. 96. 107.voluit haberi.

ratius[12]) et Bergkius[13]) in Babrii fabulis recensendis epimythia longe plurima Babrio tribuerunt. Cum Lachmanno hac in quaestione diiudicanda fere convenit Schneidewinus, qui XXIV epimythia respuit.[14]) Iam duos commemorem hoc loco necesse videtur viros, qui quidem cum ceteri, quos attuli afferamque viros doctos, epimythia Babriana tantummodo perstrinxerint, fusius hac de controversia disseruerunt: Maehlyum dico et Hochium. Atque Maehlyus quidem primus epimythiorum Babrianorum defensor, ut ita dicam, exstitit commentatione, cui inscripsit 'Coniecturen zu Babrius' (Fleckeis. Jahrb. vol. LXXXVII [1863]). Qua in commentatione extrema[15]) Maehlyus virorum doctorum omnium, quos quidem in hac quaestione versatos cognoverim, unus fere 'sine ira et studio' atque sano usus iudicio de epimythiis Babrianis[16]) disputavisse mihi videtur. Contra Hochius non modo LI illa epimythia sed etiam fabb. 6. v. 15 sqq. 45, 13. 14. 63, 12. 115, 11 sqq., alios fabularum integrarum versus extremos epimythiorum loco positos,[17]) de quibus ceteri viri docti nihil dubitaverunt, Babrio indignos deleri voluit.[18]) Neque mi-

12) cf. Fables de Babrius par M. L. Passerat. Paris 1849.

13) cf. eius Anthologiam lyricam, cui codicis A. fabulas recognitas inseruit (inde a pag. 221 usque ad 290 edit. alt.).

14) cf. Babrii fabulae ed. Schneidewinus, Leipzig 1853. Retinuit Schneidewinus epimythia fabb. 21. 22. 29. 72 a Lachmanno reiecta, reiecit fabb. 10. 82 a Lachmanno retenta.

15) v. pagg. inde a 319 usque ad 323.

16) ceterum animadvertendum est Maehlyum non de omnibus epimythiis disputasse sed de quibusdam tantum: 5. 9. 10. 12. 13. 21. 31. 33. 34. 36. 38. 41. 50. 58. 66. 70. 71. 72. 81. 94. 96. 137 (ed. Lachm.).

17) de hisce similibusque versibus infra (pag. 14 sqq.) disputabitur.

18) 'de Babrii fabulis, quae in codice Athoo leguntur, corruptis atque interpolatis' diss. Halle 1870 pag. 16—27.

rum videtur, quod Hochius omnia Babrii fabularum epimythia interpolatorum fraude nata esse censuit; est enim ex iis, qui quod Cobetus — ut lenissime dicam — miro sane modo arbitratus erat codicem Athoum magnam partem a monachis interpolatum esse et perpauca ab ipso Babrio profecta continere contra Heckerum defendere ausi sunt (pag. 4). Hochium si in Babrii fabulis recensendis ducem sequeremur, haud ita multae fabulae integrae relinquerentur.

Sed quid recentiores Babrii fabularum editores de epimythiis iudicaverint, iam videamus. Atque Eberhardium omnia epimythia ut suspecta uncinis seclusisse vides,[19] quamquam primo XXII tantum epimythia reiecerat.[20] Deinde maxime contempsit epimythia Babriana Rutherfordius, cuius verba spectant ad epimythia haec: 'epimythium adiecit codex, quo chartam foedare pudet,'[21] 'severitas mea vix patitur, ut istas Graeculi sordes typis de novo tradam,'[22] 'omnino fere hic parcit lectori epimythiasta mox tribus fabulis ingenium suum negaturus,'[23] similia. Rutherfordium igitur epimythia ad unum omnia delevisse elocutionibus illis lectitatis facile credes. Crusium denique, qui nuper Babrii fabulas edidit,[24] tribus locis epimythia breviter attin-

[19]) cf. Babrii fabulae rec. A. Eberhard, Berlin 1875.

[20]) cf. libelli, cui inscripsit 'Verbesserungsvorschläge zum Text des Babrius', Berlin 1866 pag. 4, ubi de fabulae 14. versu 5 locutus sic pergit: 'der Vers vertritt die Stelle eines Epimythion und ist unecht wie auch die Nutzanwendungen bei 11. 12. 18. 21. 22. 34. 35. 36. 38. 40. 41. 44. 59. 64. 65. 67. 70. 83. 107. 116. 119.' Quibusnam vero causis adductus epimythia illa a Babrio abiudicaverit, Eberhardius nusquam explicavit.

[21]) Babrius edited .... by Rutherford, London 1883, pag. 15.

[22]) pag. 19.

[23]) pag. 21.

[24]) Babrii fabulae Aesopeae rec. O. Crusius, Leipzig 1897 (editio maior).

gentem invenimus. Conferas enim, quae exposuit primum in Philol. vol. LIII pag. 250: 'in Bausch und Bogen wird man die Epimythien nicht verwerfen dürfen,' deinde in Encyclopaediae a Pauly-Wissowa editae vol. II pag. 2661: 'der Verfasser der Mehrzahl der metrischen Interpolationen, von denen Suidas frei ist, wird auch die Mehrzahl der von Suidas nie zitierten metrischen Epimythien eingeschmuggelt haben. Bis zu einem gewissen Grade ist auch in ihnen die Technik des Babrius befolgt: aber verräterisch sind doch viele unverkennbare Verstösse gegen die feineren metrischen Gesetze und Prosodie, nicht selten auch das mangelhafte Verständnis für die Absicht der Fabeln', denique in editionis modo laudatae prolegomenorum pag. VII: 'is scilicet, qui discipulorum et magistellorum commoditati consulens diversis Babrii libris permixtis fabularum hoc corpusculum condidit . . . . idem praecipiendi rationes anxie secutus etiam extremas earum partes immutasse atque epimythia adiunxisse videtur Suidae et Vaticano ignota.'[25]) Sed quamquam postremo loco epimythia omnia interpolatoris esse putabat, de nonnullis tamen posse dubitari in iisdem prolegomenis professus est (pag. LXII, ubi ad locos eos Babrii fabularum, de quibus dubitari posset, notandos solis cancellis se

---

[25]) dissidet autem a se ipse Crusius, qui hoc loco epimythia omnia Vaticano codici ignota esse existimat, cum in proleg. pag. VIII dicat 'Athoi epimythia versibus inclusa cum fere omnia omittantur in Vaticano.' Errasse eum deinde ex eo apparet, quod epimythium fab. 116 in codice non solum Athoo sed etiam Vaticano legitur teste Pio Knoellio; cf. Sitzungsberichte der philos.-historischen Klasse der kaiserl. Akademie der Wissenschaften (Wien 1878 vol. 91. pag. 678). Ceterum animadvertendum est etiam fabulae 127 (ed. Crus.) codice V. traditae epimythium subiunctum esse, de quo infra v. pag. 84.

usum esse monuit). In quorum numero epimythia fabb. 4. 11. 14. 18. 36. 44. 119 haberi voluit.

Habes igitur virorum doctorum de Babrii fabularum epimythiis iudicia. Dilucide autem ex iis, quae disseruimus, apparere puto longe plurimos interpolatoris vel diasceuastae fraude epimythia exorta esse censuisse. Neque tamen controversia mihi videtur diiudicata, potius cum anno 1901 a viris doctissimis Grenfellio et Huntio in Aegypto schedae repertae sint, quibus tres Babrii fabulae continentur (cf. the Amherst Papyri ed. Grenfell and Hunt. Part II, London 1901 pag. 26 sqq.), illam de Babrii fabularum epimythiis quaestionem denuo tractare non inutile videtur. Accedit, quod nemo adhuc epimythia omnia omnino perscrutatus est unamque secutus normam atque legem iudicata collegit.

Praebent igitur schedae illae a Grenfellio et Huntio repertae fabulas 11. 16. 17 et Graece conscriptas et Latine redditas. Epimythium vero fabulae 11, id quod codex A. exhibet sic:

χρὴ πρᾶον εἶναι μηδ' ἄμετρα θυμοῦσθαι
ἔστιν τις ὀργῆς νέμεσις, ἣν φυλαττοίμην,
αὐτοῖς βλάβην φέρουσα τοῖς δυσοργήτοις

eum ante oculos habuisse, qui schedas illas conscripserit, inde cognoscitur, quod epimythium modo laudatum sic in Latinum convertit: oportet ergo serenae magis aut inequa irasci est quidam (!) ira ultricis, quem (!) custodiamus ipsismet ipsis nocentiam ferentes (!) animosalibus.

Jam schedae illae cum Grenfellio et Huntio auctoribus saeculi sint III. exeuntis vel ineuntis IV., nihil dubitari potest, quin epimythium fabulae 11., quod codex A. exhibet, vetustissimum sit[26]) nec est,

[26]) cf. quae hac de re Grenfellius et Huntius breviter monuerunt: 'that some at least of the metrical epimythia of

cur non ad ipsum Babrium referamus, quem saeculo exeunte II. vel ineunte III. floruisse modesto circumspectoque usus iudicio Crusius probavit (cf. Encyclopaediae a Pauly-Wissowa editae vol. II. pag. 2658) is, qui iam in dissertatione, quam scripsit 'de Babrii aetate', de hac quaestione fusius disputavit. Accedunt deinde alia, quibus epimythia si non omnia, tamen partem aliquam Babrio tribuenda esse demonstrentur. Tabulae enim ceratae, quae vocantur Assendelftianae, in quibus saeculo post Chr. n. III. (ante Palmyram deletam)[27] puer quidam Palmyrenus fabulas XIV., alias a Babrio versibus inclusas, solutis Babrii versibus alias, alias aliunde haustas magistro dictante stilo exaravit, epimythium praebent pulcherrimum, quod cum lepidissime dictum sit optimeque cadat in fabulam necnon legibus artis metricae respondeat, nulla dubitatione Babrio dederim.[28] Est autem fabella,

the fables are of the same antiquity [the end of the third or early part of the fourth century] is also a valuable fact, for which we are indebted to the Latin version'.

[27]) accidit autem anno 272. Ceterum hac de re cf. Crusii edit. maior. pag. 3.

[28]) plurimum vero tabulas illas Assendelftianas ad epimythiorum Babrianorum auctoritatem tuendam valere etiam Crusius profiteri coactus est, qui in commentatione, cui inscripsit 'Fabeln des Babrius auf Wachstafeln aus Palmyra' (Philol. vol. LIII pag. 250) sic fere: 'Wichtig ist das Vorkommen von choliambischen Epimythien in Nr. I und Nr. XII der tab. Assend. = Babr. Eberhard 138. 43. Eberhard hält beide (mit Lachmann) für interpoliert; Knöll meint, dass die versifizierten Epimythien überhaupt erst „in ziemlich später Zeit in die Handschriftenklasse des Athous eingedrungen sind" (Wiener Sitzungsberichte 1878, 12). J e t z t f i n d e n w i r z w e i b e i u n s e r m ä l t e s t e n Z e u g e n . . . i n B a u s c h u n d B o g e n w i r d m a n d i e E p i m y t h i e n n i c h t v e r w e r f e n d ü r f e n; einen objektiven Grund, der die Moral zu der erbaulichen Geschichte vom gemalten Löwen (Eberhard 138) als unecht erwiese, kenne ich nicht. Auch die Gegenprobe ist lehrreich: fab. III

quam Crusius numero 136 signatam praebet codicibus nec A neque V sed tabulis solis Assendelftianis servatam. Huiusce igitur fabulae epimythium in tabulis ceratis sic conscriptum legitur:

< ἅ σοι πέπρωται >,[29]) *ταῦτα τλῆθι γενναίως*
καὶ μὴ σοφίζου· τὸ χρεὼν γὰρ οὐ φεύξῃ.

Epimythium deinde fabulae 43 de cervo et venatoribus instantibus, quod exhibet codex A. sic:

περὶ τῶν σεαυτοῦ πραγμάτων ὅταν κρίνῃς
μηδὲν βέβαιον ὑπολάβῃς προγινώσκων,
μηδ'[30]) *αὖτ' ἀπογνῷς, μηδ' ἀπελπίσῃς· οὕτω*
σφάλλουσιν ἡμᾶς ἐνίοθ' αἱ πεποιθήσεις.

puerum illum Palmyrenum ante oculos habuisse ex iis apparet, quae epimythii loco tabulae Assendelftianae praebent: *ἄνθρωπος [ὤ]ν βέβαια μὴ δόκει κρίνειν μηδ' ἀπογνῷς ταῦτα· σφάλλουσι γὰρ ἡμᾶς ἐνίοτε αἱ πεποιθήσεις* (vide Crus. edit. maior. pag. 43).

Jam vero etiam Themistium, qui annis inde a 330 usque ad 390 fuit (qua de re conferas Christii hist. litt. Graec.[3] pag. 806), epimythiorum partem aliquam cognovisse nobis cogitandum est. Qui Charist. XVI pag. 208[a]: '*πεποίηται δὲ*', inquit, '*καὶ Αἰσώπῳ τῷ μυθοποιῷ ἅμιλλά τις πειθοῦς καὶ βίας καὶ*

= Ath. 78, fab. IV = Ath. 97, fab. VI = Ath. 117, fab. VII = Ath. 91, fab. XIII = Ath. 123, fab. XIV = Ath. 123 sind gleichmässig auf den Tafeln wie im Athous ohne versifizierte Epimythien. Soviel wird sich danach mit Zuversicht behaupten lassen: die Sammlung, auf die die Tafeln zurückgehen, muss ziemlich denselben Bestand an Epimythien in Versen gehabt haben wie der Athous.

29) haec verba in tabulis casu quodam omissa supplenda esse docet Etymologicum Magnum, in quo epimythium legitur sub voce *πεπρωμένον* pag. 662, 27.

30) sic recte emendarunt Baiterus (coll. 18, 25.) et Lachmannus scripturae loco codicis A. *μή τ' αὖ ἀπογνῷς μὴ δ'* . . . .

ἀνύει τι μᾶλλον ἡ πειθὼ τῆς βίας . . . καὶ γυμνοῖ πρόσθεν ὁ ἥλιος τῶν λάβρων πνευμάτων'. Et recte Crusio expressisse hisce verbis Themistius videbatur (edit. maior. pag. 5) Babrii fab. 18 v. 13 sqq.:

αὐτὸς δὲ ῥίψας τὴν σισύραν ἐγυμνώθη.
λέγει δ' ὁ μῦθις· πραότητα, παῖ, ζήλου·
ἀνύσεις τι πειθοῖ μᾶλλον ἢ βίᾳ ῥέζων.

Themistio autem fidem habendam esse ex Basan. XXI pag. 262[b] dilucide apparet. Quae enim hoc loco Themistius contulit '. . . καὶ διὰ τοῦτο οἱ ἄνθρωποι τὰ μὲν ἐξ αὐτῶν κακὰ οὐχ ὁρῶσι, τὰ δὲ ἀλλότρια πάνυ ἀκριβῶς θεῶνται' (cf. Crus. edit. maior. pag. 5 et 6) ea ad fab. 66 epimythium certe genuinum:

διό μοι δοκοῦσιν συμφορὰς μὲν ἀλλήλων
βλέπειν ἀκριβῶς, ἀγνοεῖν δὲ τὰς οἴκοι.

referenda esse quis est, quin sciat!

Restat, ut commemorem Joannem Georgidam monachum, qui post saeculum IX fuit (cf. Krumbacheri hist. litt. Byzant. pag. 602), epimythia codicis A. versibus inclusa duo (fabb. 18. et 79.) Babrii nomine addito gnomologio inseruisse. Neque vero hanc rem non multum ad epimythiorum Babrianorum auctoritatem defendendam valere ignoro. Georgides enim, ut erat parum acuto ingenio, epimythia non solum versibus inclusa sed etiam pedestria Babrio tribuit (veluti fabb. 11. 99. 122 cf. Boissonadii Anecdota Graeca pag. 43. 58. 67.). —

Quae cum ita sint, cum epimythia quaedam vetustissima, ne dicam Babrio aequalia viderimus (fabb. 11. 136. 43. 18. 66.), Babrii ipsius esse si non omnia, tamen magnam partem verisimillimum est. Accedit, quod epimythium vel promythium fabularum rationi et generi aptissimum est aliisque, qui fabellas

conscripsere, poëtis usitatissimum.[31]) Operae igitur pretium videtur schedis praesertim illis a Grenfellio et Huntio nuperrime repertis Babrii fabularum epimythia denuo persequi atque, quae genuina sint, quae spuria diligenter inquirere. Sic autem rem instituere lubuit, ut epimythia primum si bene caderent in fabulam, carerent deinde vitiis metricis, denique dictionì Babrianae responderent, ea ipsi Babrio attribueremus.[32]) Ceterum non esse existimo, cur propter metricum vitium facile tollendum epimythium ceteris rebus probabile sane et aptum reicias, atque vehementissime editorum quorundam miror inconstantiam, qui quidem haud ita paucos ipsarum fabularum versus ut in contextu retineant, quocumque modo possunt, student sanare, epimythiorum autem versus Babrii artis metricae legibus non accomodatos ne unam quidem medelam parare conati ut spurios deleri volunt. Deinde, quod praeeunte Duebnero Crusius codicis A. epimythia quaedam (64. 85. 98.) metro, sermone, sensu nihil suspiciosa una de causa reiecit, quia non legerentur in paraphrasibus, fieri non potest, ut probem. Ut enim in ipsis fabulis enarrandis paraphrases non modo ceterae omnes sed etiam Bodleiana, quae proxime accedit ad textum codicis A., saepe a codice A. discrepant, qua de re diligentius disseruit Knoellius, ita non mirum est, quod epimythia nonnumquam a paraphrastis aut mutata sunt aut nova ficta. Recte igitur Lachmannus, Schneide-

---

[31]) et Phaedrus fabulas epimythiis promythiisve ornavit et Aviani plurimis fabulis epimythia vel promythia subiuncta sunt. Quamquam Aviani quoque affabulationes quibusdam suspectas videri non ignoro (cf. hac de re Ellisii editionis pag. XXXI, Encyclopaediae a Pauly-Wissowa editae vol. I, col. 2377).

[32]) similiter iudicasse video Maehlyum pag. 320.

winus, alii viri docti fecisse mihi videntur, quod epimythia fabb. 14. et 64. metro, sermone, sensu optima, quamquam non leguntur in paraphrasibus, Babrio attribuerunt.[33]). Neque vero Crusio possum assentiri, quod ut paraphrasibus ita Aviani fabulis ad epimythia quaedam Babriana proscribenda usus est. Delebat enim epimythia fabb. 64 et 65 pulcherrima, utpote quae ab Aviano, qui fabulas illas Latine exprimeret, omitterentur. Neque tamen equidem Aviani auctoritatem valere quicquam ad epimythia Babriana aut defendenda aut reicienda persuasum habeo. Praeterquam enim quod Avianum in apologis componendis non genuino Babrii opusculo usum esse probabile est, sed paraphrasi ut videtur Titiani (cf. hac de re quae exposuit Crusius in encyclopaediae a Pauly-Wissowa editae vol. II, 2. col. 2374.), ipsas fabulas eas, quae ab Aviano Babrium secuto conscriptae sunt, si cum ipsius Babrii comparaveris, non tam anxie ab Aviano expressas esse invenies. Idem in epimythiis vel promythiis componendis accidit: Ut Avianus nonnumquam et fabulis, quae apud Babrium epimythio carent, affabulationes addidit[34]) (cf. Av. I. et Bab. 16., Av. II. et Bab. 115., Av. XXXIII. et Bab. 123., Av. XXXVII. et Bab. 100., Av. XLII. et Bab. 132 [ed. Crus.]) et epimythia, quae Babrium imitatus composuit, mutavit (cf. Av. IV. et Bab. 18., Av. XVI. et Bab. 36., Av. XVIII. et Bab. 44., Av. XX. et Bab. 6., Av. XXXI. et Bab. 112.), ita

[33]) ipse Crusius epimythium fabulae 14., quod non legitur in paraphrasibus, in eorum numero habuit, quae spuria esse pro certo affirmare ausus non est (v. proleg. pag. XLII).

[34]) Aviani esse epimythia illa fabb. I. II. XXIII. XXXVII. XLII. Ellisius recte mihi videtur docuisse. Neque vero Froenerus ea in epimythiorum interpolatorum (quae contulit edit. pag. 50), numero habuit.

non mirum est, quod interdum epimythia, quae apud Babrium leguntur, omisit. Quae cum ita sint, epimythia, si legibus respondebunt supra pag. 12 a me constitutis, Babrio fore tribuenda censeo.[35]) In tres vero partes hanc dissertationem dividemus, quarum una epimythia tractabimus vere Babriana, altera suspecta, tertia spuria.

A. Prima dissertationis pars, in qua disseritur de epimythiis vere Babrianis.

Babrium in praeceptis moralibus fabulis addendis non tam parcum fuisse, quam virorum doctorum plurimi arbitrati sunt, vel inde apparet, quod ipsarum fabularum haud ita pauci versus postremi ei sunt, qui quasi in epimythiorum numero haberi possint. Sic vero has sententias perpetuis versibus cum apologis cohaerentes compositas esse videmus, ut aut ipse poëta loquatur aut animal quoddam sive homo sive bestia, quae in fabulis loquentia finguntur. Exempla contuli haec:

In fab. 6. v. 16 sq. piscatorem quendam, cui piscis parvus magno labore captus persuadere studet, ut se nunc quidem dimittat parvulum et nullius fere lucri futurum, postea vero capiat bene enutritum et divitum mensis aptum,[36]) respondentem legimus:

[35]) sic Lachmannus, Schneidewinus alii, qui ut venusta illa epimythia, quae non leguntur in paraphrasibus, Babrio tribuerunt, ita epimythia ab Aviano omissa fabb. 64. et 65. retinuerunt (vide infra pagg. 67 et 68).

[36]) in argumentis fabularum Latine reddendis et hoc et ceteris, quae necesse mihi videtur praemittantur tractandis singulis epimythiis, anonymum auctorem secutus sum, qui secundae Boissonadii editioni brevem fabularum explicationem addidit ('Brevis explicatio fabularum Babrii ad secundam editionem Ioh. Fr. Boissonadii, Paris 1845).

6, 16. *ὁ μὴ τὰ μικρὰ πλὴν βέβαια τηρήσας*
μάταιός ἐστιν, ἣν ἄδηλα θηρεύῃ.

Sententiam lepide dictam! quae nullam causam esse, cur ab Eberhardio damnetur, vix opus est monere. Quare enim '6, 16. totius fabulae sententiam male exprimant' (cf. Eberhardi 'observationes Babrianae,' Berlin 1865 pag. 5) vel 'tota sententia affabulatore potius quam Babrio videatur digna esse' (cf. edit. praef. pag. X.) equidem non intelligo nec intellexerunt editores ne Rutherfordio quidem excepto, qui quantopere epimythia respuat, supra demonstravimus.

fabulae 20, in qua Herculem bubulco curru imprudenter in cavum acto otiose adstanti deumque imploranti suasisse legimus, ut non solum oraret sed etiam ipse laboraret, epimythium latere in versibus 7 et 8:

20, 7. *'τοῖς θεοῖς δ'εὔχου,*
ὅταν τι ποιῇς κἀντός, ἢ μάτην εὔξῃ'

quis est, quin intellegat!

In fab. 33 ab agricola narrat poëta graculos in agris suis semina legentes abactos esse composito hoc dolo, ut puerum, qui ipsum sequeretur, panem peteret, puer non panem daret sed fundam. Fugientum vero graculorum unum gruibus fugae causam exquirentibus respondentem fecit poëta:

33, 22. *'φεύγετ' ἀνθρώπων*
γένος πονηρόν, ἄλλα μὲν πρὸς ἀλλήλους
λαλεῖν μαθόντων, ἄλλα δ' ἔργα ποιούντων.'

Mihi quidem dubium non est, quin Babrius hoc epimythium fabulae voluerit intellegi, neque qui fabulam lectitaverit, negabit (De versu, qui sequitur, subditicio *δεινὸν τὸ φῦλον* . . . . vide infra pag. 117). Neque vero esse, cur versus illos spurios iudicemus, id quod Eberhardius (obs. Babr. pag. 5) et Rutherfordius (edit.

pag. 41) voluerunt, Crusius iam in dissertatione supra laudata docuit (cf. 'de Babrii aetate' pag. 207 et edit. maior pag. 36).

In fab. 69 versibus 5 et 6 canem, qui leporem persecutus non ceperat, irrisum a caprario hanc sententiam poëta finxit loquentem:

69, 5. *ἄλλως ἄλλον ἁρπάσαι σπεύδων*
τρέχει τις, ἄλλως δ' αὐτὸν ἐκ κακοῦ σῴζων.

Epimythium profecto satis lepide dictum.

Pulcherrima etiam est sententia, quam postremae fab. 112 inseruit poëta. Taurus enim murem, a quo morsus erat, frustra persecutus deque ultione desperans haec loquentem audit:

112, 9. *οὐχ ὁ μέγας ἀεὶ δυνατός· ἔσθ', ὅπου μᾶλλον*
τὸ μικρὸν εἶναι καὶ ταπεινὸν ἰσχύει.

Iam ad sententias, quas perpetuis versibus cum apologis cohaerentes ipse poëta elocutus est, conferendas aggrediamur. Atque primum quidem monenda sunt, quae in fab. 70 versibus 6—8 poëtam dicentem legimus. Qui cum in ipsa fabula deorum nuptiis factis *Πόλεμον* duxisse *Ὕβριν* uxorem et vehementer amantem eam ubique sequi narraverit, haec optat:

70, 6. *μὴ γοῦν ἔθνη που, μὴ πόληας ἀνθρώπων*
ὕβρις ἐπέλθοι προσγελῶσα τοῖς δήμοις,
ἐπεὶ μετ' αὐτὴν πόλεμος εὐθέως ἥξει.

Pulcherrimos hosce versus, quibus quid sibi velit fabula, apto plane modo demonstretur, Babrio non dignos esse vix credas. Attamen Duebnerus, Hochius, Eberhardius, Rutherfordius a Babrio abiudicare eos ausi sunt. Duebnerum et Rutherfordium, qui nulla fere allata causa versus illos ad diasceuastam referendos censuerunt (cf. animadv. crit. pag. 23,

edit. pag. 68) omittamus.[37]) Hochium, qui miro quodam modo in *πόλεις ἀνθρώπων* verbis 'post *ἔθνη* abundantibus' offendit (pag. 17) non est, quod curemus. Restat igitur Eberhardius, qui quibus causis commotus sit, ut versos illos spurios iudicaret, iam videamus. Qui 'praeter spondeum',[38]) inquit (obs. Bab. p. 7), 'alia quoque sunt, quae iure offendant: *ἔθνη* correpta priori, *ὕβρις* producta ultima, *προσγελᾶν* irridendi significatione dictum, verba v. 6 inutiliter coacervata, nam et *πόλεις* et *ἀνθρώπων* supervacaneum est. Itaque cum a paraphrasta v. 6—8 non sint expressi, Babrio abiudicandos esse censeo.' Haec hactenus Eberhardius. Neque vero fieri potest ei ut assentiar, potius ceteri omnes editores recte versus illos in contextu videntur mihi retinuisse. Primum enim animadvertendum est spondeum illum in quinto versus 6 pede positum *πόλεις τὰς ἀνθρώπων*, in quo Eberhardius et Hochius offenderunt in codice A. non inveniri; exaratam enim legimus manu prima scripturam *πόληας* qua in contextum recepta spondeus iste (de quo infra copiosius disseremus) tollitur. Gravissimum igitur argumentum, quo usi editores quidam versus a Babrio abiudicarent, concidisse Crusius recte monuit (edit. maior

---

[37]) ceterum quod Duebnerus ad reiciendos illos versus dixit 'non apparere hoc epimythium in paraphrasi hinc ducta' erravit. Paraphrasis enim Bodleiana, quam fabularum Babrianarum paraphrasium omnium longe primum locum obtinere Knoellius docuit, hoc praebet fab. 70 promythium: *ὅτι ἔνθα προέλθῃ ὕβρις ἢ ἐν πόλει ἢ ἐν ἔθνεσι, πόλεμος εὐθὺς μετ' αὐτὴν ἀκολουθεῖ* (v. par. Bodl. a Pio Knoellio edit. pag. 22.).

[38]) legebat enim Eberhardius ut ceteri omnes ante Gitlbauerum et Crusium editores in versu 6: *πόλεις τὰς ἀνθρώπων*.

pag. 62). Deinde in correpta vocali ε ante θν litteras (in voce ἔθνη) non est, cur cum Eberhardio haereamus. Babrium enim correptionem illam, quae vocatur, Atticam usurpasse non solum ante mutam litteram cum ρ et λ sed etiam interdum cum μ et ν litteris coniunctam fabulis lectitatis facile invenies.[39]) Similem vero atque hanc correptionem legimus in fab. 129 v. 8 παρὰ φᾰτναισι, quas alteram ab altera defendi neque a Babrio abiudicandas esse ipse Crusius concessit (proleg. pag. LIX). At quae Eberhardio in versu 7 displicebant, et ὕβρις producta ultima et προσγελᾶν irridendi significatione dictum, digna videntur, quae respicias. Primum enim productam ι vocalem vocis ὕβρῑς, quamquam Babrium voces quasdam ita adhibuisse non ignoro, ut vocales ancipites α, ι, υ modo corriperet modo produceret, tamen hoc ancipitis prosodiae usu vix defendi posse nemo negabit. Quam ob rem viri docti quidam, ut vocis ὕβρις ι litteram vocalem natura brevem positione, quam dicunt, producerent, id quod hoc loco metro postulatur, γε particulam inter verba ὕβρις et ἐπέλθοι interici voluerunt (ὕβρις γ' ἐπέλθοι). Deinde videtur esse, cur in verbo προσγελῶσα offendamus.[40]) Sive enim 'arridere' hoc loco est προσγελᾶν[41]) sive 'irridere', quod Eber-

---

[39]) longum est h. l. omnes eiusmodi correptiones enumerare; sed vide, quae hac de re Nauckius (Philol. vol. VI p. 405 sq.), Eberhardius (obs. Bab. pag. 11; ed. praef. pag. V), Crusius (proleg. pag. LVIII) explicaverunt.

[40]) non offendit Zachariaeus, qui huius verbi usum comparavit cum aliis vocibus serioribus scriptoribus usitatis; cf. 'de dictione Babriana' diss. Lips. (1875) pag. 15.

[41]) ut vertentes legimus Boissonadium 'iniuria adridens', Hertzbergium 'die Hoffart, die den Pöbel freundlich anlächelt', A. F. Ribbeckium 'Rechtskränkung (?) schlau beim Volk sich einschmeichelnd'. (similiter auctorem 'brevis explicationis': 'vulgo blandiens Iniuria'.)

hardius voluit, verbum illud nequaquam a Babrio hoc loco usitatum esse persuasum habeo. *Προσγελᾶν* enim voci irridendi significationem, quam huius loci sententia postulari quidam voluerunt (Eberhardius, Lewisius), tribui non posse concedendum est; nam apud veteres omnes et poëtas et oratores inveniri eam 'arridendi', nusquam 'irridendi' significatione dictam Henricus Stephanus (thes. ling. Graec. vol. VI col. 1878), Passowius (lex. vol. II, 1 pag. 1175), Lobeckius (Phryn. pag. 462), Piersonus (Moer. pag. 470), alii auctores sunt. At 'non necesse videtur desiderari hoc loco verbum „irridendi, illudendi" notione dictum, sed aptissimum esse huius loci sententiae verbum illud *προσγελᾶν* „arridendi", „blandiendi" significatione usurpatum.' Non nego. Neque tamen *προσγελᾶν* verbum hoc loco placet. Babrium enim, cuius sermonem tam facilem, purum, venustum esse inter omnes constat, vix ut ab optimorum scriptorum sermone distinguas, vocem eam, quam apud omnes fere scriptores Graecos cum accusativo casu coniunctam legimus, cum dativo casu coniunxisse (id quod serioris tantum Graecitatis esse Henr. Stephanus, Passowius, Zachariaeus docent[42]) vix credibile est. Versum igi-

[42]) Henr. Stephanus in thes. ling. Graec. vol. VI, col. 1878; '*προσγελάω*, arrideo cum accus. vi praepositionis'; exemplis allatis pergit: 'cum dat. Eumath. p. 282 *τὸ ζητούμενον φῶς ἡμῖν προσεγέλασε*'. Quam constructionem minus probat Herodianus p. 470 ed. Pierson '*προσγελῶ αὐτὸν, ὡς οἱ Ἀττικοί . . . οὐχὶ αὐτῷ.*' Contra Priscianus, qui vol. 2, p. 252 'Atticos *προσγελᾷ με* et *προσγελᾷ μοι* dixisse refert.' Sed in his rebus Herodiano multo maiorem fidem tribuendam esse quam Prisciano per se patet. — Ceterum quod Papius in libri, cui inscripsit 'Griech.-deutsches Schulwörterbuch', vol. II. pag. 754 monuit 'einem zulachen *τινί* Valck. Hipp. 862' erravit. Valckenarius enim loco laudato ('Euripidis tragoedia Hippolytus, quam adnotationibus instruxit C. L. Valckenaer, Leipzig 1823,

tur huius fabulae pulcherrimae 7 cum non uno nomine displiceat, corruptum esse verisimillimum est. Qua vero librarii menda versus ille certe ad Babrium referendus corruptus sit, non difficile potest demonstrari atque miror, quod quae in versu illo displiceant, librarii esse, non Babrii viros doctos effugit. Aberrantibus enim oculis (id quod saepe librariis accidisse constat) codicis A. librarium *ἐπί* et *πρός* voculas in verbis archetypi *προσέλθοι* et *ἐπιγελῶσα* commutasse mihi est persuasissimum. Archetypum vero verba illa *προσέλθοι* et *ἐπιγελῶσα*, non *ἐπέλθοι* et *προσγελῶσα* praebuisse testimonium exstat gravissimum, paraphrasis Bodleiana.[43]) Eum enim, qui illam conscripsit, archetypi scripturam *προσέλθοι* ante oculos habuisse, non quam codex A. praebet *ἐπέλθοι*, ex scriptura paraphrasis Bodleianae *προέλθῃ* errore certe pro *προσέλθῃ* scripta (de qua confusione cf. Rutherford. introd. pag. XCIV) intellegi potest, id quod iam Bergkius videtur coniecisse.[44]) *Προσγελῶσα* tamen scriptura in contextu retenta dura evadit vocularum *προς* repetitio: *προσέλθοι . . . προσγελῶσα*, quam Crusium non effugisse video ex prol. p. LX, effugisse vero quomodo recte tollatur miror. Neque enim dubitari potest, quin Babrius hoc loco scripserit *ἐπι-*

p. 269): 'quae nobis', inquit, 'arrident, illa quoque dicuntur *ἡμᾶς προσγελᾶν* sive *ἡμᾶς προσσαίνειν*.' Nihil eum de *π. τινί* disserentem invenies.

43) de paraphrasis Bodleianae summo in Babrii fabulis recensendis pretio iam supra diximus. Quae quam vera sint, etiam ex huius fab. 70 v. 2 cognosci potest, ubi paraphrasim Bodleianam veram archetypi scripturam *ἐσχάτῳ* praebere, perversam (*ἑκάστῳ*) cod. A. librarium omnes editores professi sunt.

44) cf. Crus. proleg. LX et LXXVII et Philol. vol. XLVII, pag. 3. In editione vero fabb. Babr. Anthol. lyr. inserta Bergkius *μετέλθοι* scripsit (cf. Anth. lyr. pag. XXVIII et 255).

γελῶσα, quod verbum cum dativo casu coniunctum et 'arridendi' et 'irridendi' significationes complectitur.[45]) Hoc vero verbum huius loci sententiae maxime accomodatum esse in propatulo est. Coniectura igitur mea lenissima *προσέλθοι ἐπιγελῶσα* in contextum recepta archetypi scripturam restitui versumque evadere difficultatibus illis, de quibus disseruimus, carentem[46]) nec ullo omnino modo a Babrio alienum[47]) neminem spero negaturum esse. Neque vero coniectura illa a legibus artis metricae Babrii abhorret; dactylum enim *προσέλθοι ἐπιγελῶσα* persaepe in tertia versus sede positum invenimus.[48]) Quae cum ita sint, non est, cur epimythium illud fab. 70 a Babrio abiudicemus, praesertim cum versui 7 medicinam paraverimus, sed Maehlyo assentimur, qui l. l. pag. 320 sic: „Diese Verse mit Hartung wegschneiden, heisst die Fabel verstümmeln: denn sie gehören dazu wie das Dach zum Gebäude; sie ziehen nicht eine allgemeine trockene Moral aus dem speziellen Fall der Fabel, wie viele andere und schlechte Epimythia, sondern sie ergänzen den Kern aus demselben Stoffe. Ein späterer Dichter würde sich wohl kaum an die Aufgabe gewagt haben, einer Allegorie wie die vorliegende einen solchen Schluss beizufügen.“

[45]) cf. Henr. Steph. thes. ling. Graec. vol. III, col. 1550.

[46]) *προσέλθοι* scriptura pro *ἐπέλθοι* restituta etiam vocalis verbi *ὕβρις*, quae longa sit necesse est, positione producitur melius, ut mihi quidem videtur, quam particula illa superflua *γε* vocalis producendae causa interiecta.

[47]) hiatum vero, qui coniectura illa oritur *προσέλθοι ἐπιγ.* nihil fere suspicionis habere censeo. Neque enim Babrium, qui bis hiatum admisit *τί οὖν* (87,5 et 140,5) et vocales vocali elisa concurrentes saepius (12, 5; 50, 6, 10; 61, 3.), in hoc hiato puto offendisse, praesertim qui caesura (penthemimera) leniatur; cf. hac de re Christii metr. p. 39.

[48]) cf. Ficum in metr. Graec. a Rossbachio edit. pag. 838 sqq.

Similiter res se habet in fabula 58 ex nobilissimo Pandorae mytho ficta, in qua cum Juppiter bona omnia in operto dolio collecta apud hominem collocasset impotensque sui homo dolium aperuisset, bona unde venissent, in coelum avolasse praeter spem reposito operculo correptam Babrius narravit; huius fabulae versibus extremis (8—10) hoc inseruit epimythium:

58, 8. *τοιγὰρ ἐλπὶς ἀνθρώποις*
μόνη σύνεστι, τῶν πεφευγότων ἥμας
ἀγαθῶν ἕκαστον ἐγγυωμένη δώσειν.

quam affabulationem omnes, quos quidem noverim editores, genuinam esse concesserunt. Et, si ullum epimythium vere Babrianum est, hoc ipsum esse apparet omninoque adstipulemur necesse videtur Maehlyo, qui haec fere (p. 320): „Einen ganz analogen Fall bietet Fabel 58 (ebenfalls allegorischer Natur); auch hier hat kein Zusatz von späterer Hand stattgefunden, weil die Moral der Geschichte wiederum vom Dichter selbst gegeben war, und zum Glück kann sie ihm diesmal selbst von Hartung nicht abgesprochen werden, weil sie mitten im Verse beginnt.“ Deinde epimythio:

66, 7. *διό μοι δοκοῦσι συμφορὰς μὲν ἀλλήλων*
βλέπειν ἀκριβῶς, ἀγνοεῖν δὲ τὰς οἴκοι.

fabulae 66 addito, in qua homini a se ficto Prometheum duas imposuisse manticas poëta narravit, unam alienorum peccatorum plenam in antica parte, in posteriore alteram propriorum eamque multo ista grandiorem, quid sibi velit fabula pulcherrime poëtam demonstrasse quis est, qui neget! Contra epimythio omisso fabulae sententiam non satis perspicuam esse apparet (cf. Maehlyum l. l. p. 320.). Itaque omnes editores Babrio tribuerunt uno excepto Eberhardio, qui cur in versibus illis haeserit, nescio. Babrii eos

esse iam Crusius contra Eberhardium monuit (ed. maior. p. 60 [app. crit.]) atque etiam Rutherfordius, qui quam parvi epimythia aestimaverit, supra commemoravimus, non recte Eberhardium de duobus ultimis fab. 66 versibus dubitare professus est (edit. pag. 65).[49] Pro certo igitur affirmari potest epimythium illud, ex quo homines aliorum vitia curare, sua ignorare discamus, ad Babrium ipsum referendum esse.[50]

Eodem fere modo atque in fab. 66 cum ipsa fabula 74 Babrius epimythium coniunxit. In qua narrat poëta equum, bovem, canem frigore laborantes ad hominis focum confugisse et bene acceptos hospitalitatis mercedem dedisse suos quemque mores: primum equum, quare in iuventute homines sint ferociores, alterum bovem, quare virilis aetas labori dedita sit, postremum canem. Iam hisce versibus, quibus senes morosos esse et difficiles demonstretur, fabulam concludit poëta:

74, 15. *διὸ δυσκολαίνει, Βράγχε, πᾶς ὁ γηράσας*
καὶ τὸν διδόντα τὴν τροφὴν μόνον σαίνει,
ἀεὶ δ' ὑλακτεῖ, καὶ ξένοισιν οὐ χαίρει.

Quos versus epimythii loco a Babrio esse positos nemo negavit; nec vero fieri potuit, ut spurios quis-

[49]) ceterum cum hoc epimythio Rutherfordius bene comparavit affabulationem illam fab. 57 versibus 12—14 inclusam:

ἐντεῦθεν Ἄραβές εἰσιν, ὡς ἐπειράθην,
ψεῦσταί τε καὶ γόητες, ὧν ἐπὶ γλώσσης
οὐδὲν κάθηται ῥῆμα τῆς ἀληθείας.

quae quin Babrii sit dubitari nequit (sim. Bodl. 40.).

[50]) simile epimythium Phaedrus fabulae illi (IV, 10) addidit:

'hac re videre nostra mala non possumus;
alii simul delinquunt, censores sumus.'

quam iudicaret.[51]) Respondent enim fabulae versibus his: 10, 11

διόπερ ἐν χρόνοις πρώτοις
ἕκαστος ἡμῶν γαυρός ἐστι τὴν γνώμην.

et 12, 13

διόπερ εἰς μέσους ἥκων
μοχθεῖ φίλεργός τ' ἐστὶν ὄλβον ἀθροίζων.

Haec hactenus de epimythiis fabb. 6 (v. 16, 17); 20 (v. 7, 8); 33 (v. 22); 57 (v. 12—14); 58 (v. 8—10); 66 (v. 6, 7); 69 (v. 5, 6); 70 (v. 6—8); 74 (v. 15—17); 112 (v. 9, 10), quae apto sane modo cum ipsis fabulis extremis a Babrio ita coniuncta esse vidimus, ut sententias, quae fabulis illis laterent, aut ipse eloqueretur poëta (in fabb. 57, 58, 66, 70, 74) aut deum quendam (in fab. 20), hominem (in fab. 6, 61), bestiam (in fabb. 33, 69, 112) dicentem fingeret. Ad ipsum vero Babrium epimythia illa tredecim referenda esse pro certo affirmaverim, quoniam vitiis vacant metricis, sermone sunt Babriano, quid fabulae illae sibi velint, optime docent.[52])

Sed iam ad epimythia perscrutanda aggrediamur cod. A. fabulis illis LI, quas supra (pag. 1 adn. 2) enumeravi, addita, de quibus quam diversa sint virorum doctorum iudicia in procemio huius disser-

[51]) Unus Bernhardyus fabula versibus 15—17 omnino necessariis spoliare non veritus est. Sed quae de huius fabulae et sextae epimythiorum ratione scholastica monuit (cf. l. l. pag. 860 'in keiner scholastischen Weise wie etwa 6 u. 74'), equidem non intellego.

[52]) Bernhardyum autem et Hochium, qui ille fabb. 6, 74. 112 versus ultimos nullo certe modo suspectos, hic praeterea versus fabb. 45, 13 sq.; 63, 12; 115, 11 sqq. deleri voluit una de causa, quia olerent, ut ita dicam, epimythia, non est, quod curemus.

tationis copiosius exposui. Atque eorum quaenam ad Babrium referenda esse pro certo affirmari possit, nunc videamus.

fab. 4:

'Pisces cum piscator quidam rete cepisset, alii, qui quidem parvi essent, maculis elapsi, elabi alii corporum magnitudine prohibiti sunt.'

Fabulae subiunctum legitur in cod. A. epimythium hoc:

4, 6 *σωτηρία πώς ἐστι καὶ κακῶν ἔξω*
τὸ μικρὸν εἶναι· τὸν μέγαν δὲ τῇ δόξῃ
σπανίως ἴδοις ἂν ἐκφυγόντα κινδύνους.

Pulcherrime cohaerere epimythium cum iis, quae antecedunt, atque eloqui sententiam fabulae aptissimam et accomodatam quis est, qui neget! Leges deinde metricas Babrianas servatas esse, qui artis metricae peritus sit, primo fere obtutu intelliget. Habes enim choliambos vere Babrianos, iambos spondeis et anapaesto commixtos, habes caesuram legitimam (penthemimeren, quae vocatur). In paenultimis vero versuum 6 et 7, non est, cur offendamus. Quamquam enim paenultima versus syllaba plerumque natura longa est in choliambis Babrianis, neque tamen dubitari potest, quin Babrius positione longam interdum paenultimam admiserit (cf. Ficus, Über den Bau des griechischen Choliambus, insbesondere über den des babrianischen Mythiambus [Rossbach, Griech. Metrik, Leipzig 1889], pag. 826). Exempla enim exstant huius rei haud ita pauca ut fabb. 1, 15; 7, 2, 3, 5; 9, 3; 16, 1, 6; 18, 7; 20, 4, 6; 23, 3, 4, 5, 8 alia multa. Plurimi igitur viri docti versus illos Babrio attribuerunt Hochio et Eberhardio exceptis, qui interpolatoris eos esse sententia demonstrari censuerunt *σωτηρία πώς ἐστι καὶ κακῶν ἔξω τὸ μικρὸν εἶναι*, in qua sermonis concentu requireretur aut *σωτήριον* pro *σωτηρία* aut *φύξα* pro *ἔξω* (cf. Hoch, de Babrii . . . pag. 17, Eber-

hard, obs. Babr. pag. 19); quae coniecturae mihi quidem non necessariae videntur neque haec gravior Maehlyi *φύζα* pro *ἔξω* (pag. 311) neque levissima illa Eberhardii *σωτήριον* pro *σωτηρία*. Primum enim non video, cur in vincta praesertim oratione sententiae illius structura, in qua subiectum est *τὸ μικρὸν εἶναι*, cui additur praedicatum duplex *σωτηρία ἐστὶ καὶ κακῶν ἔξω* (sc. *ἐστί*) offendamus. *ἔξω εἶναι* vero vel *ἔξω γίγνεσθαι* i. e. 'frei sein von, ohne etwas sein' apud Graecos scriptores non poëtas solum sed etiam oratores usitatissimum esse vix opus est monere. Ceterum similiter ac h. l. *ἔξω κακῶν ἐστι* Demosthenes dixit *ἔξω κακῶς πάσχειν γίγνεσθαι*, (cf. etiam Soph. Oed. R. v. 622 et 1390). Deinde haud scio, an etiam postpositum voci *κακῶν* verbum *ἔξω* prodat Babrium; quem adverbia *ἄνω*, *ἔσω*, *ἔξω* semper fere verbis postposuisse recte observavit Eberhardius (obs. Babr. p. 16). Accedit, quod in fab. 112 epimythium legitur vere Babrianum huic et argumento et sermone simillimum, de quo conferas supra pag. 16. Quae igitur alterum altero defenduntur. Quae cum ita sint, fab. 4 v. 6—8 spurios non esse, sed ad ipsum Babrium referri et posse et debere censeo.

fab. 5.

Gallorum, qui inter sese pugnaverant, alter victoria elatus, cum in tectum volasset magnaque voce cecinisset, ab aquila subito ereptus est, alter, qui clade accepta pudoris plenus in aedium aliquo angulo delituerat, est servatus.

Fabulae in cod. A. hoc epimythium additur:

5, 10. *ἄνθρωπε, καὶ σὺ μή τι ποτ' ἴσθι καυχήμων*
ἄλλον σε πλεῖον τῆς τύχης ἐπαιρούσης.
πολλοὺς ἔσωσε καὶ τὸ μὴ καλῶς πράττειν.

Quos versus Lachmannum secuti omnes fere editores ut spurios uncinis secluserunt. Lachmannus autem

qua causa commotus versus reiecerit, nullo nec apparatus critici nec editionis praefationis loco exposuit. Quare quales sint versus illi metro, sententia, sermone iam videamus. Ac primum quidem legibus artis metricae respondent, *παραίνεσιν* deinde, ut Graeca utar voce, recte iis contineri, qui fabulam attente percurrerit, non negabit. Restat igitur elocutio Babrio digna sit necne, ut examinemus. Atque hac in ipsa re causa videtur posita esse, qua commoti viri docti illud epimythium a Babrio abiudicaverunt. Tumidi enim sermonis exempla saepe praeberi epimythiorum praecipue versibus principalibus arbitrati sunt, quibus epimythista legentium animos ad sapientiam quam pronuntiaturus esset accipiendam componere studeret. Ioculare igitur et vaniloquum esse illud: *ἄνθρωπε, καὶ σὺ μή ποτ' ἴσθι καυχήμων* (cf. Hochii dissert. p. 17). Hanc vero allocutionem tumidam, quae videatur, causam satis gravem praebere, ut epimythium spurium esse iudicemus, fieri non potest, ut concedam. Hoc praecipue nobis cavendum est, ne versus et metro et sententia integros una de causa reiciamus, quod aliqua in iis videatur esse elocutio insolita. Saepe enim accidit, ut idem aliis videatur vaniloquum dictum esse, aliis apto sane modo. Hisce in quaestionibus quam diversa sint virorum doctorum iudicia, etiam inde apparet, quod hoc fab. 5 epimythio, cum alii Babrio omnino non dignum esse arbitrarentur, alii utpote lepide dicto nihil offendebantur velut Passeratius, qui quamquam epimythiorum partem maximam parvi aestimavit, hoc ipsum vere Babrianum in contextu retinuit. Equidem cur appellatio illa *ἄνθρωπε, καὶ σύ* ... Babrio aliena sit vel, ut nonnulli voluerunt, etiam christiani hominis sermonem prodat, non possum intellegere; potius cogitantibus nobis, quanta sit Babrii varietas ordiendi praecepta

illa moralia fabulisque adiungendi,[52a]) allocutio illa, quam conferre possis cum epimythiis fabb. 18. 72, 74,[53]) non tam intolerabilis atque molesta videbitur, ut ansam praebeat, qua usi totum illud epimythium sententiae fabulae accomodatissimum legibusque artis metricae Babrianae optime respondens reiciamus. Qui vero pro *ἄνθρωπε* scribi maluerit *ὤνθρωπε*, ei Babrium sic quoque potuisse dicere concedendum erit.[54]) Sed eum vides in eiusmodi allocutionibus modo nudum vocativum casum usurpasse modo *ὦ* interiectione addita (cf. fab. 18, 15 *παῖ*, fab. 74, 15 *Βράγχε*, prooem. II, 1 *ὦ παῖ*, prooem. I, 1 *ὦ Βράγχε*).[55]) Deinde non est, cur in monosyllabis quattuor illis *καὶ σὺ μή ποτ'* continuatis offendamus; conferri enim possunt ad hunc locum tuendum, quae leguntur in fab. 58, v. 4 *τί ποτ' ἦν ἐν*. Vocem denique *καυχήμων* ceteris scriptoribus inusitatam suspicionem non movere viri docti, qui sermonem Babrianum diligentius perscrutati sunt, docuerunt. Permulta enim inveniuntur apud Babrium verba, quae dicuntur *ἅπαξ λεγόμενα*,[56]) quorum in numero *καυχήμων* quoque haberi potest; qua in voce novata eo minus offendemus, quod *καυχᾶσθαι* verbum usurpatum est a Babrio in fabb. 96, 4; 194, 2; 180, 1 (ed. Crus.).

[52a]) modo Branchum allocutus est (cf. fabb. 18. 72. 74) modo formulis usus est *λέγει δ' ὁ μῦθος* similibus (fabb. 18 31. 36. 116), modo aliter epimythia induxit (59. 65, 119).

[53]) haud scio, an cum Theognide eas appellationes comparare liceat, qui in gnomis epimythiorum indoli simillimis modo Cyrnum illum appellavit modo homines (cf. v. 595 all.).

[54]) crasi saepius indulsisse Babrium et Ficus auctor est (p. 847) et Crusius (proleg. p. LVI).

[55]) ceterum conferas hac de re quae disseruit Lobeckius in commentar. ad. Soph. Aiac. v. 1154, pag. 373.

[56]) exempla eius modi contulerunt Schneiderus (pag. 533) Eberhardius (obs. Babr. pag. 17 sq.), Zachariaeus (pag. 16 sq.)

Quae cum ita sint, versus 10—12 in textu retineri posse atque Maehlyo assentiamur necesse esse existimo, qui (pag. 323) sic fere: Billig darf man fragen, warum das Epim. zu F. 5 (von den beiden Hähnen) für des Babrius unwürdig gehalten worden ist: es enthält nach Form und Inhalt durchaus nichts, was mit dem Geist des Dichters in Widerspruch stände. Schien etwa der Anlauf mit *ἄνθρωπε* etwas zu modern oder christlich und glaubte man *ὦ Βράγχε τέκνον* oder *ὦ παῖ* wäre allein passend gewesen (vgl. 18, 15 *πρᾳότητα, παῖ, ζήλου*)? Aber gerade die Abwechselung in dem sonst einförmigen und reizlosen Gebiete der 'erbaulichen Gedanken' könnte den Dichter verraten; und spricht derselbe nicht in der ersten Person F. 65, nicht in der dritten F. 107 (wo er auf die Menschen überhaupt, nicht nur auf Branchos Bezug nimmt)? Und so wird er auch, wo er in der zweiten Person spricht, diese ebensowohl im verallgemeinernden Sinn als im speziellen (auf seinen Branchos bezogen) verstanden wissen wollen. Daher möchte ich unser *ἄνθρωπε, καὶ σὺ μή ποτ' ἴσθι καυχήμων κτλ.* einstweilen, bis Beweise vom Gegenteil beigebracht werden, dem Babrius vindizieren.

fab. 11.

'Vulpem hortis et vineis inimicam aliquis puniturus cauda, cui lineum pannum alligaverat, incensa dimittit. Sed vulpem fugientem numen in segetes hominis maturas immisit, qui flammis perire videt laborem suum.'

Epimythium fabulae subiunctum in cod. A.:

11, 10. *χρὴ πρᾷον εἶναι μηδ' ἄμετρα θυμοῦσθαι*
ἔστιν τις ὀργῆς νέμεσις, ἣν φυλαττοίμην,
αὐτοῖς βλάβην φέρουσα τοῖς δυσοργήτοις.

Babrii esse et metrum, sermo, sententia docent, et papyris Amherstianis confirmatur (vide supra

pag. 8 et 9) paraphrasique Bodleiana. (cf. edit. P. Knoell. p. 4 *ὅτι πρᾷον εἶναι χρὴ καὶ μὴ ἀμέτρως θυμοῦσθαι· ἐξ ὀργῆς γὰρ πολλάκις ἔτυχε βλάβην γίνεσθαι μεγάλην τοῖς δυσοργήτοις.)*[57])

fab. 13.

Agricola inter grues satorem hostes etiam ciconiam ceperat. Petit haec, ut parcat sibi innocuae et omnium avium piissimae. Respondet agricola se haec nescire, scire autem cum quibus capta sit, cum iisdem eam perituram esse. — Lepidissimae huic et venustae fabulae in cod. A. hoc epimythium subiunctum legitur.

13, 13. *κακοῖς ὁμιλῶν ὡς ἐκεῖνοι μισηθήσῃ*
κἂν μηδὲν αὐτὸς τοὺς πέλας καταβλάψῃς.

Versum 13 metro non convenire primo oculorum obtutu intellegitur; versum enim septenarium habes, non senarium. Neque tamen viri docti, qui versus illos spurios esse existimaverunt, hac re offensi sunt, sed Boissonadii coniectura *μισήσῃ*[58]) in contextu recepta versum non bene currentem sanaverunt. Alia vero difficultas versui 13 inesse videbatur editoribus longe plurimis nullo omnino modo toleranda, qua commoti versum Babrii non esse censerent. Spon-

---

[57]) Quantus autem sit editorum iudicandi de epimythiis dissensus quantaque licentia, ex ipso hoc epimythio intellegi potest. Lachmannus enim et Schneidewinus versus esse Babrianos putaverunt, Eberhardius vero ut spurios uncinis seclusit eumque Crusius secutus est, qui quamquam uncos versibus apposuit, tamen ex iis esse concessit (proleg. pag. LXII), de quibus genuini essent an spurii posset dubitari. Eberhardius igitur versus reiecit; quibus autem de causis reiecerit, nullo loco exposuit.

[58]) cf. quae in edit. princ. pag. 34: 'mutavi', inquit, 'recte, opinor, ac facile pravam lectionem. Tempus illud mediae vocis passivum passim sensum nanciscitur. Euripides Troad. 680:
τόνδε δ' αὖ Στυγοῦσ' ἐμαυτῆς δεσπόταις μισήσομαι.'

deum enim continet versus 13 in quinto pede positum *(ἐκεῖνοι μισήσῃ)*, quem vitasse Babrium inter omnes fere editores convenit.[59]) Non recte ex mea quidem sententia. Tot enim in ipsis fabulis[60]) spondei inveniuntur in quintam versus sedem admissi, ut errore omnes librarii exortos esse non liceat opinari. Ac primum quidem Babrii esse illud *λευκανθιζούσας*, quod bis invenitur et in fab. 22 v. 9 et in fab. 45, v. 3 editorum quos quidem novi nemo negavit. Accedunt deinde:

prooem.	I, 3.	*ἐγενήθη χαλκείη*	(cf. Eberh. obs. p. 7)
„	I, 4.	*θείαν ἡρώων*	
„	I, 15.	*ἡμῶν Αἰσώπου*	
fab.	6, 15.	*ὀξείῃ σχοίνῳ*	
„	12, 17.	*ἀγρώτην τήκει*	
„	39, 4.	*εἰρηνεύοι*	
„	82, 7.	*κνίσῃ φεύγων*	(cf. Ficum p. 844)
„	97, 6.	*χαλκεῖα πλήρη*	
„	8.	*ἀλλ' ἢ δεσμώτην.*	
„	98, 16.	*χεῖρος παίων*	
„	99, 4.	*μεθεῖναι τὴν πίστιν*	
„	103, 4.	*ἀληθῶς ἀσθμαίνων*	
„	111, 6.	*ἠλαφρύνθη*[61])	
„	123, 1.	*χρυσᾶ τικτούσης.*[62])	

[59]) cf. Duebneri animadv. crit. pag. 25, Eberhardii obs. Babr. pag. 7 et edit. praef. pag. IV, Crusii proleg. pag. XLI.

[60]) in epimythiis cod. A omnibus quinque inveniuntur spondei in quinta sede collocati (13, 13; 21, 11; 22, 16; 72, 23; 81, 5), de quibus singulis disseretur.

[61]) suo iure Lachmannus cod. A lectionem *ἠλαφρύνθη* contra ceteros editores retinuit, qui ut spondeum delerent *ἐλαφρύνθη* scripserunt omisso augmento, qua de re conferas, quae dixit Ficus pag. 843. Erravit hac in re Crusius (proleg. p. XXXI et LVI).

[62]) quae cetera contulerunt exempla Lachmannus (praef. p. XIII, XIV), Eberhardius (obs. Babr. p 7.), Ficus (p. 843): 23, 1 *μακρὴν ὕλην*, 53, 4 *φησὶ ζωγρήσω*, 61, 10 *εἶχε ζητήσει*, 78, 4

En locos omnes ex integris fabulis excerptos, qui spondeum in quinta versus sede habent. E quibus quamquam nonnullos librario tribui posse concedo, non poëtae, tamen commutare optimas lectiones veluti *ἐγενήθη χαλκείη* (prooem. I, 3), *ἡμῶν Αἰσώπου* (prooem. I, 15), *ἠλαφρύνθη* (111, 6), *χρυσᾶ τικτούσης* (123, 1), *μεθεῖναι τὴν πίστιν* (99, 4) una de causa, ut spondeum fugias, nullo modo licet. Recte igitur Lachmannus legum artis metricae peritissimus ille 'spondeo,' inquit,[63]) 'in quintam sedem admittendo quin aliquotiens ad antiquissimorum auctorum usum redire voluerit [Babrius], dubitari non potest.' Exempla deinde contulit, e quibus non solum polysyllabis sed etiam trisyllabis in extremo versu positis spondeum quinto pedi Babrium inseruisse appareat.[64]) Quae cum ita sint, non video, cur in spondeo illo *ἐκεῖνοι μισήσῃ* offendas, atque miror vehementissime, quod Lachmannus is, qui spondeos *ἀλλ' ἢ δεσμώτην, ἡμῶν Αἰσώπου, χρυσᾶ τικτούσης*, similes nulla dubitatione in contextu retinuit, in spondeo illo simillimo *ἐκεῖνοι μισήσῃ*[65]) haesit. Versum igitur huius epimythii 13

τέκνον σώσει, 89, 4 *ἐβλασφήμεις*, 95, 29 *με ζητήσῃ*, 107, 15 *ἀντιζωγρήσας* illis, quae supra pag. 31 attuli exemplis, non addiderim. Recte enim Crusius: 'in censum', inquit, 'non veniunt, nam ante ζ litteram et medias cum liquidis coniunctas poëta vocales interdum corripuit.' cf. etiam Duebnerum pag. 21, Schneiderum pag. 537, Lewisium praef. pag. XIX, Maehlyum pag. 317, Eberhardium obs. Babr. pag. 11.

[63]) cf. edit. praef. pag. XIII.

[64]) similiter fere atque Lachmannus Ficus pag. 842; deinde conferas pag. 816, ubi Ficus etiam choliambographos Graecos, qui ante Babrium essent, Hipponactem et Ananium, spondeum in quinta sede admisisse exposuit. — Vide etiam Schneidewin. p. 17, C. Fr. Hermann. p. 819, Schneider. p. 537, Bergk. p. 535, Christ. metr. p. 362.

[65]) fieri non potest, ut spondei illius vitandi causa *οι* diphthonga syllaba hoc loco corripiatur, id quod etiam in

propter spondeum illum non esse censeo, cur Babrio abiudicemus. Sed haud scio, an metrica, quae omnibus fere viris doctis versui inesse videbatur, difficultas alio modo tolli possit vel minui. Persuasum enim mihi est non tam in cod. A. scriptura *μισηθήσῃ*, quae mihi quidem bene tradita videtur, haerendum esse quam in voce *ἐκεῖνοι* ac satis probabiliter coniecisse videor archetypum lectionem praebuisse:

κακοῖς ὁμιλῶν ὡς κακὸς μισηθήσῃ.[66])

Vocem *κακός* repetitam multo elegantius dictum esse poëtaque dignius languido illo *ἐκεῖνοι* quis est, qui neget! Inveniuntur autem similes eiusdem vocis repetitiones apud Graecos non poëtas solum sed etiam prosae orationis scriptores. Deinde coniectura mea in contextum recepta fit, ut spondeus ille suspectus uno vocabulo contineatur; spondeum vero eum, qui uni vocabulo polysyllabo insit, a Babrio in quinto versus pede admissum esse omnes viri docti, etiam Eberhardius (cf. obs. Babr. p. 7), Hochius (pag. 20), Crusius (proleg. p. XL) concedunt, qui quam anxia cura Babrii artis metricae leges tueantur, saepius iam monui. Habes igitur hoc *μισηθήσῃ* exemplis illis vere Babrianis *λευκανθιζούσας*, *ἠλαφρύνθη*, *εἰρηνεύοι* simillimum.[67]) Probata igitur coniectura mea versus evadit nullo omnino modo a Babrii arte metrica alienus neque quidquam restat, quo epimythium Babrio non dignum esse demonstretur.[68])

fabb. 95, 63 *γρύξαι τι* et 99, 4 *μεθεῖναι τὴν* quidam voluerunt. Respicere enim debebant, quae de diphthongis *οι* et *αι* ante consonantem qui sequitur corripiendis recte Morellius exposuit in lexici Graeco-prosod. vol. I, pag. VII. (Prosodia adnot. 6.)

[66]) similiter iam Lewisius coniecit *ὡς κακοὶ μισηθήσῃ*.

[67]) cf. quae Lewisius praef. pag. XV de versibus ischiorrhogicis aliquoties apud Babrium admissis explicavit.

[68]) ceterum, qui superfluum esse hoc epimythium dixerit, quia sententia in ipsius fabulae versu ultimo (12):

fab. 14.
'Urso efferenti se ut hominem amantem, quia cadaver humanum non attingat, respondet vulpes: Mallem vivum non attingeres.'
Fabulae in cod. A epimythium subiunctum est unum complectens versum hunc:
14, 5. *ὁ ζῶντα βλάπτων μὴ νεκρόν με θρηνείτω.*
Quem versum, si Babrii fabularum editiones percurreris, omnes editores Babrio dedisse videbis, ut spurium uncinis seclusisse Eberhardium et Crusium. Equidem versum quamvis diligenter iterum atque iterum perscrutatus sim atque examinaverim, qua de causa reicerem, invenire non potui. Sermone enim esse Babriano mihi videtur optimeque currere. Accedit, quod quid fabula sibi velit, egregie exprimitur. At Eberhardius et Crusius legem quandam prosodiacam invenisse sibi videntur,[69]) quae si hunc versum in contextu retinueris, neglecta erit. Habes enim in versu tres syllabas ante mutam cum liquida correptas *τα* ante *βλ* in *ζῶντα βλάπτων*, *νε* ante *κρ* in *νεκρόν*, *με* ante *θρ* in *με θρηνείτω*, qua in re Eberhardius et Crusius haeserunt. Putabant enim Babrium syllabas ante mutam cum liquida correptas singulas versui inseruisse, non plures. Legem profecto miram! Babrius, quem Graecorum more poëtarum syllabas ante

ἀπολῇ μετ' αὐτῶν τοιγαροῦν, μεθ' ὧν ἤλως.
[quocum conferas quod nos dicimus 'mit gefangen, mit gehangen'] expressa pateat, ei meo iure haec videbor respondisse. Primum causa non est ea, ut versus 13 et 14 sensui fabulae accomodatissimos deleas. Deinde, id quod gravius est, necesse videtur praecepto morali ex fabula petito discere nos non solum cum quibus capti simus cum iisdem nos perituros, sed etiam hac in re nihil interesse, utrum una cum illis detrimentum inferamus aliis necne, id quod epimythii versu altero *κἂν μηδὲν κτλ.* bene exprimitur.

69) cf. Eberh. obs. Babr. pag. 11, Crus. proleg. pag. LIX.

mutam litteram cum liquida coniunctas modo produxisse, modo corripuisse, si fabulas percurreris, facile intelliges[70]) et eum in fab. 108 v. 23

ἄσημα τρίζων τόν τε πρόξενον θλίβων

bis syllabam ante mutam litteram cum liquida coniunctam corripuisse nemo negare potest, cur hoc in versu 5 tres syllabas ante mutam cum liquida correptas non admiserit, non video (praesertim cum tres illae correptiones inveniantur in thesi, non in arsi). An causam eam esse satis gravem putas, quare versum et sententia et elocutione aptissimum reicias? Tales leges profecto editores statuerunt, non poëta, inciderunt que Eberhardius et Crusius in vitium illud, quod recte castigavit C. Fr. Hermannus sic: 'Sollen wir um metrischer Verstösse willen einen Vers für interpoliert erklären, so dürfen weder die metrischen Regeln selbst zu streng gefasst sein — hoc autem in ipsum vitium Eberhardius et Crusius ut saepe philologi inciderunt —, noch andere Gründe fehlen, die den Verdacht zur Gewissheit einer Unechtheit erheben können.'[71]) Versum igitur fab. 14, 5, quoniam nihil omnino illis legibus repugnat, quas in epimythiis quae genuina sint, quae spuria iudicandis supra constitui (pag. 12), Babrii esse pro certo affirmaverim.

fab. 18.

'Sol aliquando cum aquilone certasse fertur, uter homini pallium adimere possit prior. Iam aquilone vehementius ingruente homo arctius pallium constrinxit. Sole autem calidis radiis eum urente aestu coactus pallium abiecit. Sic victus est aquilo.'

---

[70]) cf. etiam Eberh. obs. pag. 11, Nauckium (Philol. vol. VI), Crus. proleg. pag. LVIII.

[71]) cf. l. l. pag. 820.

Fabula 18 in cod. A finitur versu:

βορρᾶς μὲν οὕτω συγκριθεὶς ἐνικήθη.

subiungitur dein hoc epimythium:

18, 15. λέγει δ' ὁ μῦθος· πρᾳότητα, παῖ, ζήλου.
ἀνύσεις τι πειθοῖ μᾶλλον ἢ βίᾳ ῥέζων.

quod omnes fere editores in textu retinuerunt, reiecerunt Eberhardius et Crusius. Atque Eberhardius quidem versus spurios quare existimaverit, nec in editione nec in observationibus illis Babrianis exposuit. Contra Crusius duas causas invenisse sibi videtur, e quibus interpolatoris esse illos versus appareat. Formam enim βορρᾶς, quae in versu 14 invenitur, et ῥέζων vocem in versu 16 interpolatorem prodere censuit. Ac primum quidem quamquam verisimile non esse concedo, Babrium in una eademque fabula formam solutam adhibuisse (in v. 1 βορέᾳ *A* et in v. 4 βορέας *A*)[72]) atque contractam βορρᾶς in v. 14, tamen nihil est, cur hanc rem adeo premas. Perpetuam enim fuisse fluctuationem in vocibus illis scribendis βορέας et βορρᾶς, βορέης et βορρῆς cum alii tum Henr. Stephanus in thes. ling. Graec. vol. II col. 329 bene docuerunt. Facile igitur hoc quoque loco fieri potuit, ut menda quadam librarii βορρᾶς pro βορέας scriberetur.[73]) Sed utcumque res se habet, βορρᾶς formam non praebere causam satis gravem, ut epimythium reicias, docuisse mihi videor. Deinde ad alteram causam, qua commotus Crusius epimythium repudiavit, examinandam aggrediamur. Ac

[72]) non necesse erat has cod. A lectiones commutare, id quod Crusium maluisse video. Babrium enim, si fabulas percurreris, volgatum α et η ionicum inter sese commiscuisse facile invenies.

[73]) nisi forte interpolatorem quendam versum 14 composuisse credideris, quo epimythium, quod incipit a v. 15, cum ipsa fabula, quae v. 13 finitur, coniungeret.

multo etiam minus probabilis mihi videtur quam illa, de qua modo diximus. Babrium enim imprimis in Homeri carminibus multum versatum fabulis elocutiones, constructiones, verba Homerica saepissime inseruisse multis allatis exemplis Zachariaeus docuit (cf. de dictione Babriana dissertat. pag. 4) atque ipse Crusius concessit (proleg. pag. XXXI). Quid igitur est, cur vocem illam Homero usitatissimam *ῥέζειν* pro *πράττειν, ποιεῖν* Babrius Homeri imitator non adhibuerit? Georgidam vero in gnomologii lib. I pag. 9 non *πράττων* praebere, id quod Crusius in apparatu critico ad suam ipsius sententiam confirmandam annotavit, sed eandem cod. A. lectionem *ῥέζων* Crusius postea (edit. pag. 436) professus est. Cogitanti igitur tibi hoc epimythium omni et metri et sermonis vitio carere, egregio quodam modo in fabulam cadere, Themistii iam aetate fuisse (de qua re conferas, quae supra pag. 10 diximus) Babrio tribui posse concedendum erit.

fab. 21.

'Boves lanios utpote hostes ipsis occidere aggressos senex bos monet etiam occisis laniis non defuturos, qui ipsos mactent et ob imperitiam mactent cum cruciatu. Parcendum igitur laniis, qui perita manu celeriter nec ullo cruciatu hoc agant.'

Fabulae non solum cod. A. sed etiam V. nobis servatae epimythium additur in cod. solo A. hoc:

21, 11. *ὁ τὴν παροῦσαν πημονὴν φεύγειν σπεύδων*
ὁρᾶν ὀφείλει μή τι χεῖρον ἐξεύρῃ.

Epimythium, quod in fabulae sensum plane cadere nemo negare potest, qui reiciebant, propter spondeum in quinto pede v. 11 positum reiecerunt. Et spondeum talem, qualis legitur in vocabulo dissyllabo *φεύγειν*, vix tolerari posse concedo; spondeum enim

nisi in vocibus polysyllabis Babrium non admisisse supra demonstravimus. At viri docti ut ipsarum fabularum versum eum, quem a Babrii arte metrica alienum codices praebent, spurium esse non iudicaverunt, si coniectura sanari poterat, sed medicina parata recte in contextu retinuerunt, ita etiam epimythiis, ubi facile fieri potuit, auxilio venire debuerunt. Metrica vero difficultas, quae huic epimythio inest, lenissima coniectura tolli potest; cum Fixio enim si pro *φεύγειν* cod. A. scriptura *φυγεῖν* scripserimus,[74]) spondeum istum suspectum delebimus. Recte igitur ex mea quidem sententia Lewisius, Schneidewinus, Maehlyus fecerunt, quod ut epimythium illud sententia aptissimum Babrio vindicarent, Fixii coniecturam satis probabilem in contextum receperunt. *ὀφείλειν* deinde verbum pro *χρή, δεῖ* usurpatum, quod cum eodem modo adhibitum in pedestri epimythio invenirem (*οὕτως τινῶν οἱ κίνδυνοι διδαχὴ εἶναι ὀφείλει*) primo suspiciosum mihi videbatur, non tam inusitatum esse testes sunt Passowius et Henr. Stephanus. Quod denique in cod. V. epimythium omittitur, non adeo premendum est. In hisce enim rebus cod. A. maior fides est habenda. Knoellium vero errasse, cum epimythia cod. A., quia in cod. V. desint, recentioris aetatis esse collegit ('Neue Fabeln des Babrius', Sitzungsberichte der philos.-histor. Klasse der kais. Akademie der Wissenschaften, vol. 91, fasc. I—II, (1878) pag. 668), testimonio sunt et schedae illae a Grenfellio et Huntio repertae et tabulae Assendelftianae atque ipse professus est Crusius (proleg. pag. VIII).

[74]) cf. Revue de philologie tom. I, pag. 69: 'lisez *φυγεῖν* et comparez fab. 69, 5 *ἁρπάσαι σπεύδων,* 113, 3 *σπεύδεις* . . . *σῶσαι,* 112, 2 *φθάσαντος φυγεῖν*', ubi similiter infinitivus aoristi pro praesentis usurpatus legitur; cf. etiam Eberh. obs. pag. 15.

Quae cum ita sint, epimythium fab. 21 ad ipsum Babrium referendum esse pro certo affirmaverim.

fab. 23.

'Bubulcus tauri in silva amissi furem quo deprehendat, agnum vovet rusticis numinibus. Superato colle in taurum incidit, qui in eo est, ut ab leone devoretur. Iam boves vovet, quo effugiat furem.' Fabulae epimythium in cod. A. hoc legitur:

23, 9 *ἐντεῦθεν ἡμᾶς τοῦτ' ἔοικε γινώσκειν,*
ἄβουλον εὐχὴν τοῖς θεοῖσι μὴ πέμπειν
ἐκ τῆς πρὸς ὥραν ἐκφορουμένης λύπης.

Quos versus Duebnerum secuti omnes fere recentiores editores spurios esse iudicaverunt; quamquam quibus causis commoti epimythium Babrio abiudicaverint, neque Duebnerus[75]) neque illi exposuerunt. Secuti igitur videntur esse solum suum ipsorum arbitrium atque voluntatem, quod quam lubricum sit in arte critica factitanda iam in prooemio quasi huius dissertationis monui. Contra Hochius causam exquisivisse sibi videbatur eam, ex qua epimythium interpolatoris esse appareret. Haerebat enim in voce *ἔοικε*, quae 'non Babrii', inquit (pag. 26), 'est, qualem ex prooemio novimus suis ingenii viribus confisum sed epimythistae de sua ipsius re incerti, cui quamvis modestissimo ineptiarum, quas haud semel fabulis appinxit, venia non danda est.' Sed vereor, ne Hochius ut semper fere in epimythiis diiudicandis hoc quoque loco modum transierit; *ἔοικε* enim non solum 'videtur' esse sed saepissime etiam 'consentaneum est, par est' vix opus est monere.[76]) Verba igitur quae leguntur

[75]) satis habuit l. l. pag. 36 scribere 'versus 9—11 non sunt Babrii'.

[76]) cf. Steph. thes. ling. Graec. vol. III, col. 231. — Ceterum iam brev. explic. auctor locum recte interpretatus est: '*ἔοικε* consentaneum est, il est naturel' (pag. 18).

'unde hoc nos intellegere (cognoscere) consentaneum est . . .' quomodo interpolatorem prodant 'de sua ipsius re incertum', equidem nescio neque habeo, cur ista Hochii curem. Iam examinantibus nobis diligentius versus inde ab 9 usque ad 11 vix quicquam occurret, quo epimythium non posse ad ipsum Babrium revocari demonstretur. Atque primum quidem versus optime currunt omnique carent vitio metrico; deinde sermo nihil fere a Babrio alienus videtur: *γινώσκειν* formam semper a Babrio usurpatam esse, non *γιγνώσκειν* ex fabb. vss. 1, 16; 13, 10; 92, 4 intellegi potest. Neque vero est, cur in elocutione illa *πρὸς ὥραν* offendamus. Quam insolitam esse concedo.[77]) At cogitantibus nobis *ὥρα* vocem saepius generaliter pro *χρόνος* usurpatam inveniri atque *πρὸς* praepositionem interdum ad tempus significandum cum accusativo coniunctam locutio illa *πρὸς ὥραν* i. e. 'zur Zeit, gerade, eben' non ea videbitur, qua totum hoc epimythium ut spurium iudicemus commoveamur, praesertim cum Babrii proprius sit haud raro praepositionum usus.[78]) Deinde si ullus est scriptor, quem hanc

[77]) cf. Passeratii edit. pag. 98: '*πρὸς ὥραν* sur l'heure, du moment. Locution insolite.'

[78]) ceterum *πρὸς ὥραν* illud tolerari posse vel inde colligere licet, quod paraphrasta Bodleianus quid sibi velit non ignorabat; locutionem illam si non intellexisset utpote plane inusitatam, dubium non est, quin ut aliis locis poëtae verba circumiturus fuerit; cf. P. Knoelli diss. ('Die babr. Fabeln des cod. Bodl.') pag. 16: 'Herübergenommen aus dem Original sind auch die Präpositionen in dem Babrius eigentümlichen Gebrauch: *ἐκ δευτέρου* (90), *παρὰ ἀνθρώπῳ τινὶ ἀφῆκε* (44), *πρὸς ὥραν* (16 prom.)' Itaque Knoellius quoque *πρὸς ὥραν* Babrii esse locutionem minime suspectam censuit. Non inusitatam denique seriori Graecitati esse locutionem illam ad notionem temporis exprimendam inde cognosci potest, quod invenitur in nov. testam. 2 Cor. 7, 8. Babrium vero cum interpretibus Alexandrinis (septuaginta) et illis, qui novum

illam elocutionem usurpare non potuisse difficillimum est pro certo affirmare, is est Babrius, 'quem vocabulis, formis, compositionibus antiquis novicia et quasi discoloria commiscuisse' inter omnes viros doctos convenit, qui quidem eius sermonem perscrutati sint.[78a]) Iam vero quod attinet ad cod. A. scripturam *ἐκφορουμένης* nonnulli viri docti coniecturis locum dederunt. Scripserunt autem Boissonadius, Orellius-Baiterusque, Weisius in editionibus *ἐκφορουμένην*[79]) (ad *εὐχὴν* relatum), Ahrensius *ἐμφορουμένης* ('de crasi et aphaeresi cum corollario emendationum Babrianarum' (1845) pag. 30), Lachmannus *ἐκφοβουμένους*, Lewisius Menam secutus *ἐκφορουμένους*,[80]) Gitlbauerus *μὴ φορουμένης* (versu collato fab. 6, 4, ubi cod. A. *ἐκ* pro *οὐ* habet). Neque tamen ulla ex his coniecturis necessaria videtur, quamquam *ἐκφορουμένους* omnium longe optimam censeo: ac suo iure Crusius cod. A. scripturam defendit, qui *ἐκφορούμενος* voci vim 'prorumpendi' subesse monuit (edit. pag. 28). Sic vero intellegendum esse h. l. *ἐκφέρεσθαι* verbum paraphrasta Bodleianus docet, qui interpretatus est '*διὰ τὴν πρὸς ὥραν συμβαίνουσαν λύπην*'. Sensui denique fabulae hoc epimythium accomodatum est. Quamquam enim interdum fieri potest, ut ex una fabula plures sententiae petantur, hanc tamen ipsam, quam cod. A. et paraphrasis Bodleiana praebent, affabulationem aptissimam esse quis est, qui neget! Babrius hac fabula

testamentum scripserunt, multa sermonis habere communia vel similia Schneiderus primus explicavit (l. l. pag. 531), Eberhardius (obs. pag. 15/16) et Zachariaeus (l. l. pag. 24) argumentis multis et exemplis confirmaverunt comprobaveruntque.

[78a]) cf. Eberh. obs. pag. 17, Zachariaei dissertationem supra laudatam, Crusii prol. pag. XXVIII sq.

[79]) vertit Boissonadius: 'inconsultas non esse diis ferendas preces, quas praesens effuderit dolor.'

[80]) quam probavit ipse quoque Maehlyus l. l. pag. 312.

nos docet cavendum esse, ne prorumpentibus dolore et calamitate inconsulta faciamus vota. Quae cum ita sint, una cum Lewisio et Bergkio hoc epimythium Babrio attribuerim.

fab. 24.

Ranae cum ceteris animalibus nuptias Solis laetae celebrant; quas una monet non chorearum ipsis sed maestitiae hanc causam esse debere: iam unum Solem latices ipsis vitales exsiccare. Quid esse futurum filio ab illo genito?

Affabulatio haec legitur in cod. A.:

24, 9. χαίρουσι πολλοὶ τῶν ὑπερβολῇ κούφων,
ἐφ' οἷς ἄγαν μέλλουσιν οὐχί[81]) χαιρήσειν.

Versuum neque metrum neque sermo quidquam praebent a Babrii arte alienum. Sensus igitur epimythii quaeritur, num adeo non in fabulam cadat, ut ad ipsum Babrium versus revocandos non esse liceat pro certo affirmare. Atque Lachmannus quidem ineptam plane hanc sententiam iudicasse videtur eumque secuti sunt Schneidewinus, Eberhardius, Crusius; a quibus illos versus uncinis seclusos esse video. Contra non solum Lewisius et Bergkius sed etiam Passeratius, qui quam severus sit in epimythiis diiudicandis, supra iam perstrinximus, in his ipsis versibus epimythii loco positis nihil haeserunt.[82]) Equidem hoc epimythium, quamquam paulo languidius esse concedo, non tamen fabulae sensui ita repugnare arbitror, ut Babrio possis abiudicare. Pertinere enim fabulam ad eos, qui qui-

---

[81]) non necesse est cum Schneidewino et Bergkio pro οὐχί, quod exhibet cod. A, malis οὔ τι. Babrium enim amasse negare voce οὐχί Eberhardius recte monuit (obs. pag. 16). Qui deinde pro οὐκ h. l. μή voluerit scribi, ei cogitandum erit Babrium saepius οὐ admisisse, ubi μή, μή, ubi οὐ exspectes (cf. Eberh. pag. 16, Crus. proleg. pag. XXIX).

[82]) quin etiam Rutherfordius, epimythiorum iste contemptor, hoc epimythium 'sanius' dixit.

dem quanta sint levitate animi rebus delectentur haud ita magno ipsis gaudio futuris, nemo poterit negare, id quod confirmatum videmus paraphrasibus, quae omnes, quod sciam, epimythium praebent idem atque cod. A. Itaque iis viris doctis assentiri mallo, qui fab. 24 v. 9 et 10 defenderunt, quam qui spurios eos esse pro certo affirmabant.

fab. 29.

Equus senex olim curulis molae denique adstrictus: 'cursibus', inquit, 'ex qualibus quales in gyros propter farinulas molitoribus serviens compellor!'

Fabulae, quam decurtatam esse nonnulli viri docti coniecerunt,[83]) hoc epimythium subiunctum est in cod. A:

29, 5. *μὴ λίαν ἐπαίρου πρὸς τὸ τῆς ἀκμῆς γαῦρον·*
πολλοῖς τὸ γῆρας εἰς πόνους ἀνηλώθη.

Versui 5 ineunti metrica difficultas inest (sive *λίαν* spondeum legis, ut semper fere invenitur apud Babrium [cf. 21, 4; 36, 6; 100, 1; 116, 4] sive quod licet iambum)[84]), quae quod effugit non Boissonadium

[83]) primus Fixius lacunam posuit post v. 2, qui locum e coniectura ita refinxit: *ἔκαμνε πολλὰ συντριβεὶς πόνοις δεινοῖς*; alii Lewisium secuti sunt, qui post v. 1 excidisse versum opinatus est, cuius sensus esset *ὁ δὲ ἀεὶ ἐταλαιπώρει.* Quae tamen coniecturae mihi quidem non videntur utique necessariae. Lachmanni enim emendatione *ζευχθεὶς δ' ὑπὸ μύλην ἤλεσ' ἑσπέρην πᾶσαν* (Eberh. *πᾶσαν ἑσπέρην ἤλει*, Bergk. *ἤλασ' ἑ. π.*) in contextum recepta vel quae magis placet Ludwichii (Über einige Verderbnisse bei Babrius pag. 8):

μύλῃ δὲ πᾶσαν ἑσπέρην ὑπεζεύχθη
τάλας στενάξας εἶπεν . . .

(qua eadem tribrachys, qui videtur suspectus deletur [sed cf. 98, 9 *περιβαλεῖν*]) non video, cur fabula 29 decurtata sit. Certe erraverunt, qui ut Rutherfordius et Crusius fabulas, quae quidem non plus quam quattuor versus complecterentur, partem maximam a tetrasticha quodam misere depravatas esse coniecerunt.

[84]) hac de re conferas Morellii lex. Graeco-prosod. vol. II, pag. 595.

solum sed etiam Orellium-Baiterumque valde mirum est.[85]) Intellexit claudum versum in editoribus primus Weisius, qui cum 'probe sufficeret ad sententiam postremus' deleto versu 5 utpote spurio solum versum 6 epimythii loco poni voluit. Similiter Lewisius, qui 'si versus germanus esset *σφόδρ'* pro *λίαν* scribendum' esse coniecit. Ex turba deinde virorum doctorum, qui loco sane corrupto medelam parare conabantur, commemorare liceat Hermannum *σὺ μέγ'*, O. Schneiderum *δῆτ'*, Sauppium *δήν*, Schneidewinum *λήν*, Gitlbauerum *μηδὲν ἐπαναίρου*. Neque tamen ex his coniecturis una placet, sed multo probabilius mihi videtur, quod Ludwichius nuper proposuit: *μὴ λῆμ' ἐπαίρου* collatis Sophoclis O. T. v. 635 *στάσιν γλώσσης ἐπήρασθ'*, Eur. Iph. T. v. 1484 *παύσω δὲ λόγχην, ἣν ἐπαίρομαι ξένοις* (cf. 'Über zwei Scholien zu Herondas und einige Verderbnisse bei Babrius' in Ind. lect. in univ. Albert. Regimont. hab. anni 1902). Sed iam quaeritur, num iniens ita sanatus versus exiens *(γαῦρον)* Babrii artis metricae legibus respondeat. Ahrensius enim primus post cod. A. fabulas repertas duas leges metricas monuit (in 'corollario emendationum Babrianarum' supra laudato), quas in ultimo choliamborum pede Babrius videtur servasse. Quarum altera est, ut paenultimam versus semper accentu feriret, altera ut in extremo versu syllabas non admitteret nisi natura longas. Sed ut illam de accentu in paenultima versus sede posito legem ubique valere concedendum est, ita de huius, quae spectet ad vitandas breves in extremo versu syllabas auctoritate et usu licet dubitare. Tot enim inveniuntur admissarum in versuum exitu brevium syllabarum

[85]) legisse autem videntur — ⏑́ ⏑, quod per *α* vocalem litteram vocis *λίαν* semper productam (cf. *λίην*) non licet.

exempla, ut omnia librario dare vix possis. Huiusmodi vero exempla in cod. A. leguntur haec:

1,	5.	*σπεῦδε* ***[6])
19.	6.	*πηδῶσα*
22,	7.	*γραῖα**
	11.	*γραῖα**
	12.	*ἀποσπῶσα*
23,	4.	*ἄρνα* (vel ut Ludwichius *Ἄρμα*)
31,	13.	*ἀχρεῖα**
106,	4.	*ἐπειρᾶτο**
107,	3.	*θῆρα*
	9.	*ζῶντα*
114,	6.	*πνεῦμα**
115.	4.	*ταῦτα*
116,	2.	*κἀξαναστᾶσα*
	3.	*παῖδα*

prooem.	I,	5.	*χεῖρον*
fab.	7,	2.	*φόρτον*
	10,	7.	*πᾶσαν*
	12,	17.	*μήνυσον**
	23,	6.	*ταῦρον*
	24,	3.	*ἦγον*
	29,	2.	*πᾶσαν*
	31,	20.	*πρόσθεν*
	33,	12.	*τοίνυν*
	42,	7.	*κρεῖττον*
	47,	8.	*τοίνυν*
	57,	8.	*ὥσπερ*
		9.	*φόρτον*
	59,	3.	*ζῷον*
	67,	5.	*πρῶτος*
	68,	6.	*πρῶτος*

*6) asterisco notavi exempla, quae levi coniectura ab editoribus mutata sunt.

fab. 76, 8. ἀλλοῖον
9. δύστηνος*
10. ἱππεῦσιν*
95, 101. ἥτις
99, 8. τοίνυν
100, 4. πίστιν
102, 11. ἥτις
106, 16. μοῖραν
17. σιγῶσαν
19. ἀποσχοῦσαν
21. ψαῦσον
26. ἄλλος
27. βαῖνον*
prooem. II, 5. Λιβυστῖνος*
fab. 108, 1. ἀρουραῖον
112, 9. μᾶλλον
114, 3. φέγγος*
116, 10. οἶμον
13. κἀκεῖνος

Accedunt in fabulis cod. V traditis (cf. Crusii edit. pag. 112 sqq.) exempla haec:

fab. 128, 1. τοιαῦτα
7. γεμισθεῖσα
10. τοῖα
14. διωκτῆρα
129, 3. περισκαῖρον
19. εἶδον
130, 1. ἑστῶσα

En exempla, quae quidem invenerim in fabulis cod. A et V traditis syllabarum in extremo versu brevium! Quae qui persecutus sit, non omnia librariis vel interpolatoribus tribuenda esse concedat necesse est sed potius in extremo versu non eadem diligentia evitatas esse a Babrio breves syllabas qua accentum ultimae versus syllabae impositum. Recte igitur viri docti, qui

nullis praeoccupati opinationibus ad Babrii fabulas recensendas aggrediebantur, versuum exitus dixerunt a Babrio ita formatos esse, ut quamquam syllabas natura longas praeferret, admitteret tamen nonnumquam breves (cf. Eberhardii obs. Babr. pag. 8; edit. praef. pag. IV; Crusii proleg. pag. XLII).[87]) Quare de brevibus syllabis in versibus codd. A et V extremis positis cum omnibus fere viris doctis hanc normam mihi ponam, ut quae in versibus inveniantur metro, sensu, sermone optimis, in iis non offendamus vel, si levi coniectura possint tolli, tollamus[88]) (velut in exemplis asterisco supra notatis), contra quae loco legantur aliis rebus suspecto suspicionem fraudis interpolatoris augeant. — Quae cum ita sint, fieri non posse arbitror, ut ob solam *γαῦρον* vocem in fine versus positam epimythium fab. 29 metro, sensu, sermone certe aptum deleamus.

fab. 31.

Mures in longo et cruento bello contra mustelas usque victi credebant opus esse sibi ducibus longe conspicuis. Legunt igitur duces genere et fortitudine insignes, aciem instruunt, duces paleis fronti affixis conspicuos reddunt. Nihilominus iterum vincuntur. Fugientes dum reliqui cito terram subeunt, duces ob nova insignia non possunt per foramina intrare et capti trahuntur.

Fabulae in cod. A. subiunctum est hoc epimythium:

31, 23. *λέγει δ' ὁ μῦθος· εἰς τὸ ζῆν ἀκινδύνως*
τῆς λαμπρότητος ηὐτέλεια[89]) *βελτίων.*

[87]) unus Rutherfordius semper Babrium legem illam servasse affirmavit omnesque versuum exitus a lege alienos interpolatoris esse, non Babrii (cf. introd. pag. XCI).

[88]) sic fere Ficus l. l. pag. 826.

[89]) cod. A exhibet *τῆς λ. εὐτέλεια*; sed recte Fixius paraphrasim Bodleianam secutus, in qua *ἡ εὐτέλεια* legitur, emen-

Ex reiecto a nonnullis editoribus hoc ipso epimythio elegantissimo satis dilucide apparet, quanta interdum libidine viri docti fuerint in epimythiis diiudicandis quamque lubricum sit in arte critica factitanda praeoccupatis servire opinationibus. Nihil enim in his versibus invenies, quo tuo iure offendaris. Lachmannus cur scripturam cod. A. optimam *εἰς τὸ ζῆν ἀκινδύνως* mutari voluerit in *εἰς ἀκίνδυνον ζωήν*, quam coniecturam omnino non necessariam in textum recipere per legem illam non licet, quae pertinet ad versus paenultimae accentum, equidem non intellego. An vero in vocali *ο* littera ante *ζ* *(τὸ ζῆν)* correpta haesisse putandus est? Quam correptionem apud Babrium — praesertim ut h. l. in thesi — nihil offensionis habere iam supra copiosius demonstravimus (ceterum conferas quaeso fab. 14. v. 4 *τοῦ δὲ ζῶντος*, ubi *ε* ante *ζ* corripiatur necesse est cum spondeum in pede quarto nunquam admitteret Babrius). Equidem igitur epimythium fab. 31, quod elegantiam vere Babrianam spirat, retinendum censeo.[90])

fab. 35.

'Simia, quae catulos duos pepererat, alterum nimio amore complexa suffocat, alterum contemnit et abigit. Vita fruitur contemptus.'

Epimythium, quod legitur in cod. A.:

35, 12. *τοιοῦτο πολλῶν ἐστιν ἦθος ἀνθρώπων,*
οἷς ἐχθρὸς ἀεὶ μᾶλλον ἢ φίλος γίγνου.

Babrii esse et metrum et sensus clamant. Suo igitur iure omnes praeter Eberhardium et Crusium editores Babrio vindicaverunt. Atque Eberhardium quidem, quare ipsi hoc epimythium displiceret, nihil inveni explicantem nec in commentationibus, quas scripsit de

davit *ηὐτέλεια*. De crasi haud raro a Babrio usurpata vide Crus. proleg. pag. LVI, Fic. pag. 847.

[90]) similiter Maehlyus l. l. pag. 318.

Babrii fabulis nec in editione. Quod vero Crusius '*γίγνου* formam', quam exhibet cod. A., 'interpolatorem prodere' monuit collato pedestri epimythio fabulae 78, in quo eadem forma *(γίγνονται)* legeretur, tantum abest, ut probem, ut valde mirer, quod Crusius ad epimythium proscribendum tali causa usus est. Primum enim respicere debuit codicibus scriptorum inde ab Homero usque ad infimorum temporum libros summam esse inconstantiam in exhibendis formis *γίγνεσθαι* et *γίνεσθαι* (pariterque *γιγνώσκειν* et *γινώσκειν*) nec veteres ipsos satis sibi constitisse, quantum ex monumentis colligi possit, in quibus non solum *γίγνεσθαι* sed etiam *γίνεσθαι* reperiatur.[91]) Multo igitur verisimilius est h. l. ut persaepe *γίγνομαι* pro *γίνομαι* forma librarii errore exortam esse conici quam fraude interpolatoris. Deinde quod *γίγνομαι* forma in pedestri fab. 78 epimythio invenitur, nihil ad hunc locum in suspicionem vocandum valet. Liceret formam quandam pedestris illius epimythii cum huius epimythii versibus inclusi conferre, si ab uno eodemque conscripta esse cod. A. epimythia et versibus inclusa et pedestria posset demonstrari, id quod Crusius neque docuit unquam neque docebit. Epimythia enim cod. A. pedestria multo serioris temporis esse quam quae versibus inclusa sint cum ex aliis rebus tum sermone colligi potest, de qua re in prolusione quasi huius dissertationis iam diximus (cf. pag. 1 adn. 3). Sed iam *γίγνου* formam mendo librarii exaratam si in Babrio usitatiorem (cf. 54, 3; 87, 4; 95, 80; 98, 11; 101, 8; 118, 4) *γίνου* mutaverimus,[92]) id quod Passe-

[91]) sic Henr. Stephanus in thes. ling. Graec. vol. II. col. 620.

[92]) similiter Stephanus formas illas (*γίνομαι*) poëtis restituendas arbitratus est, 'ubi a librariis sunt obscuratae, quod si omnem exemplorum copiam perlustramus, in omnibus fere codicibus factum animadvertimus.'

ratius iam fecerat, nihil in hoc epimythio[93]) erit, quod a Babrio alienum sit.

fab. 36.

'Quercum ingentem ventus cum radicibus evulsam in amnem proiecerat. In eo dum volvitur, arundinem miratur tenuem et fragilem stare rectam, cum ipsa tam vasta et firma fuerit eradicata. Respondet arundo: Noli mirari. Tu pugnans cum ventis potentibus victa es; nos molli ingenio statim cedimus.'

Epimythium, quod in cod. A. legitur:

36, 13. *κάλαμος μὲν οὕτως· ὁ δέ γε μῦθος ἐμφαίνει*
μὴ δεῖν μάχεσθαι τοῖς κρατοῦσιν ἀλλ' εἴκειν.

vere Babrianum esse vix opus est monere. Docent versus optime currentes, docet sermo simplex atque sincerus, docet sententia plane cadens in fabulam. Itaque ipse Crusius facere non potuit, quin hoc epimythium ex iis esse concederet, de quorum auctoritate vix dubitari posset. Duebnerus vero, qui 'versus' inquit (pag. 40) '13 et 14 non videntur esse Babrii: epimythium haud necessarium, cuius loco diversa et ab hoc et inter se habent paraphrases', neque viris doctis videtur persuasisse, quos fere omnes epimythium in textu retinuisse videas, neque mihi persuasit. Atque primum 'haud necessarium' videbatur hoc epimythium Duebnero, non Babrio, quem et aliis fabulis satis perspicuis videmus subiunxisse epimythia, quae genuina esse demonstravimus. Deinde paraphrases si percurreris, epimythia huic simillima esse concedes. Conferas epimythium paraphrasis Bodleianae: *ὅτι οὐ δεῖ ἀνθίστασθαι τοῖς κρατοῦσιν ἐνδόξοις ἀλλ' ὑποτάσσεσθαι καὶ ὑπείκειν*, conferas aliarum paraphrasium ut H. 179: '*ὅτι οὐ δεῖ ἀνθίστασθαι τοῖς κρατοῦσιν*

93) legitur etiam in paraphrasi Bodl. pag. 13 et apud Coraësium pag. 177.

ἀλλ' ὑποτάσσεσθαι καὶ ὑπακούειν': quae qui conscripserit epimythia, eum ante oculos habuisse epimythium illud Babrianum cum ex tota ratione dicendi tum ex vocibus *κρατοῦσιν, ὑπείκειν (ὑπακούειν)* iam intelleges. Epimythium vero, quod fabulae paraphrasis H. 179b. additur: *ὁ μῦθος δηλοῖ, ὅτι οὕτω καὶ οἱ πρὸς τὸν καιρὸν καὶ τοὺς κρείττονας αὐτῶν μὴ ἀνθιστάμενοι κρείττονές εἰσι τῶν πρὸς μείζονας φιλονεικούντων*, si non verbis, rebus tamen cum epimythio Babriano convenit; praeterea animadvertendum est hac in paraphrasi etiam ipsius fabulae narrationem differre a fabula Babriana, id quod iam ex initio cognoscitur: '*διὰ καρτερίαν καὶ ἡσυχίαν καὶ ἰσχὺν κάλαμος καὶ ἐλαία ἤριζον· τοῦ δὲ καλάμου ὑπὸ τῆς ἐλαίας ὀνειδιζομένου, ὡς ἀδύνατός ἐστι καὶ ῥᾳδίως ὑποκλίνεται πᾶσι τοῖς ἀνέμοις, ὁ κάλαμος οὐδὲν ἐφθέγξατο* . . . Quae cum ita sint, Duebneri illa non valent ad epimythium fab. 36 pulcherrimum proscribendum, ac suo iure editores retinuerunt.[94])

fab. 38.

Lignatores pino, quam scindebant, immiserunt cuneos. Tum pinus gemibunda: 'non tam securi', inquit, 'irascor quam cuneis, qui cognata radice nati me rumpunt'.

Epimythium fabulae in cod. A. subiunctum:

38, 8. *ὁ μῦθος ἡμῖν τοῦτο πᾶσιν μηνύει,*
ὡς οὐδὲν οὕτω δεινὸν ἂν ὑπ' ἀνθρώπων
πάθοις τι τῶν ἔξωθεν ὡς ὑπ' οἰκείων.

in fabulae sensum cadere neque sermonis quidquam praebere, quod alienum sit a Babrio, omnes necesse est profiteantur. Maehlyi autem, qui hoc epimythium

[94]) simillimum est indole hoc epimythium fab. 18, v. 15 sq., quod epimythium Babrii esse supra demonstrasse mihi videor.

reiecit, quod primum versum copiosius dictum esse monuit quam necesse esset (l. l. pag. 322), istam causam, utpote quae nulla sit, fusius refellere vix opus esse mihi videtur. Sed alia exstat causa, qua commoti nonnulli hoc epimythium spurium censuerunt, et ea satis digna, quae respiciatur. Metricam enim offensionem praebet versus 9 quartus pes, in quo, ne pyrrichium legas, *ἂν* producas necesse est. Quam productionem probatam inveni et defensam a Nauckio (cf. Philol. vol. VI (1851) pag. 409), qui de producta potentiali quae vocatur *ἂν* particula monuit, quae Dindorfius hac de quaestione metrica copiosius disseruit in 'poët. scen. Graec. (1830) praef. p. VII seq.' et 'ad Aeschyl. Sept. v. 562 p. 320 sqq.' Necesse igitur videtur digrediamur ad hanc rem diligentius perscrutandam. Atque attulit Dindorfius exempla productionis duodecim haec:

I. Aeschyl. sept. v. 562: *θεῶν θελόντων δ'ἂν ἀληθεύσαιμ' ἐγώ.*

II. Soph. Aiac. v. 1339: *οὐκ ἂν ἀτιμάσαιμ' ἂν ὥστε μὴ λέγειν.*

III. Soph. El. v. 314: *ἦ δ' ἂν ἐγὼ θαρσοῦσα μᾶλλον ἐς λόγους.*

IV. Soph. Antig. v. 747: *οὐκ ἂν ἕλοις ἥσσω γε τῶν αἰσχρῶν ἐμέ.*

V. Aesch. Agam. v. 341: *οὐκ ἂν ἑλόντες αὖθις ἀνθαλοῖεν ἄν.*

VI. Eurip. Rhes. v. 561: *διόλωλε τάχ' ἂν εἴη φοβερόν.*

VII. Eurip. Med. v. 867: *οὐκ ἂν ἁμάρτοις τοῦδέ γ', ἀλλ' ἀκούσομαι.*

VIII. Eurip. Troad. v. 409: *οὐκ ἂν ἀμισθὶ τοὺς ἐμοὺς στρατηλάτας.*

IX. Eurip. Hel. v. 1045: *οὐκ ἂν ἀνάσχοιτ' οὐδὲ σιγήσειεν ἄν.*

X. Eurip. Herc. fur. v. 1254: *οὐκ ἂν ἀνάσχοιθ' Ἑλλὰς ἀμαθίᾳ θανεῖν.*

XI. Eurip. Herc. fur. v. 186: *οὐκ ἂν ἐπαινέσειεν.*

XII. Alexis apud Athen. X p. 422 b: *οὔτ' ἂν ἀδικοῖτ' οὐδὲν οὐδεὶς οὐθ' ὑβρίζοιτ' ἂν . . .*

Dindorfio oblocutus est Godofredus Hermannus, qui in dissertatione, quam scripsit 'de mensura utriusque *ἂν*'[95]) recte, ut mihi quidem videtur, monuit non credibile esse particulam, quae apud omnis generis poetas infinitis locis corriperetur, hisce in tam paucis exemplis productam esse, potius omnia exempla productae potentialis *ἂν* particulae a Dindorfio collata, utpote quae librariorum erroribus exorta essent, lenissimis coniecturis irrita fieri demonstravit. Atque primum quidem suo iure monuit permirum esse, quod de illis XII exemplis septem *οὐκ ἂν* haberent: quorum tribus, quae facillime corrigi possunt inserto pronomine, quod sensu postulatur fere (IX. *οὐκ ἂν σ' ἀνάσχοιτ'* X. *οὐκ ἂν σ' ἀνάσχοιθ'*. XI. *οὐκ ἂν σ' ἐπαινέσειεν)*, Dindorfius ipse non multum tribuebat. Quattuor vero, quae haberent *οὐκ ἄν*, exemplis (IV. V. VII. VIII) alium esse communem fontem erroris Godofredus Hermannus censuit. Et profecto quando nullus eorum est, in quo non aptissime asseveratio quaedam accedat, quod in uno alterove eorum Porsonus atque Elmsleius reponi voluerunt, *οὔτἂν (= οὔτοι ἄν)* accomodatum est omnibus.[96]) Patet autem, qua causa in *οὐκ ἂν* mutatum fuerit: nam cum *οὔτ' ἂν* scriberetur idque videretur

[95]) cf. opusc. IV. vol., pag. 371 sqq.

[96]) ante Godofr. Hermannum qui medelam parare iis studebant, *γέ* particulam interiecerunt veluti: Aesch. Agam. 340 *οὐκ ἂν γ' ἑλόντες*, Med. 386 *οὐκ ἂν γ' ἁμάρτοις*, Antig. v. 746 *οὐκ ἂν γ' ἕλοις* sim.

οὔτε ἂν esse nec tamen sequeretur aliud *οὔτε*, mutatum est sic, ut sensus postulare putabatur (pag. 381 sq.). Cetera deinde, quae restant exempla productae *ἂν* particulae, alii aliter sanare conati sunt (I *ἂν* Herm.), *θελόντων ἂν δ' ἀληθεύσαιμ'* (Wellauer.) II. *οὔκουν* vel *οὐκ ἀντατιμάσαιμ' ἂν* (Herm.) VI. *τάχ' ἂν τι πέλοι* (Herm.) III. *ἢ δ' ἂν* [pro *ἢ δὴ ἂν*] Herm.). Quibus e coniecturis sive hanc sive illam malueris, Hermanno concedamus necesse erit contra centena correptae particulae exempla pauca, quae contulerit Dindorfius, nihil valere. Et ipse Dindorfius postea mutavit sententiam, id quod videbis ex editione anni 1869, ubi omnia (XI) exempla, quae anno 1830 ex tragicis sumpserat ad suam sententiam confirmandam, emendabat aut Hermannum aut alios viros doctos secutus. Quae cum ita sint, non est, cur Nauckio assentiar, qui Babrio licentiam metricam vindicabat eam, quam poëtarum seriorum ne abstrusorum quidem amantissimis usitatam esse Godofredus Hermannus docuit (pag. 388). Neque vero fieri potest, ut Fixio adstipuler, qui ut productam *ἂν* particulam ita totum epimythium interpolatoris esse voluit, sed mihi persuasum est, ut in exemplis supra allatis productio quae videatur *ἂν* particulae potentialis librariis, non poëtis tribuenda est, ita hoc quoque loco mendum librarii inveniri. Conicere enim licet Babrium aut *πρὸς ἀνθρώπων* dixisse in v. 9 (pro cod. A scriptura *ὑπ' ἀνθρ.*), id quod Boissonadius voluit, aut pro *πάθοις* cod. A scriptura *πάθῃς*[97]), ita ut *ἂν* esset *ἢν (ἐάν)*, neque quidquam offensionis haberet producta *α*.[98]) *(ὡς οὐδὲν οὕτω δεινόν [*sc. *ἐστὶ* vel *ἔσται], ἂν*

---

[97]) coniectura est Duebneri.

[98]) equidem post *ἂν* h. l. *γέ* particulam omissam esse nolui conicere; abutebantur enim critici saepe hac particula, quam recte Dindorfius per ironiam dicebat *παμφάρμακον*.

ὑπ' ἀνθρώπων πάθῃς κτλ.) Atque primum quidem Boissonadii coniecturam Weisio, Orellio-Baiteroque, Passeratio, Bergkio probatam equidem mihi videor posse confirmare exemplis his: Aesch. Prom. v. 92, Choeph. 413. Eum. 100. Soph. Phil. 1343. Herodot. I, 73. III, 65, 74. sim., e quibus scriptores Graecos verbo usos πάσχειν solitos fuisse appareat πρός praepositionem pro ὑπό ponere.[99]) Praepositionibus autem significatione similibus a librario commutatis perfacile vitium metricum potuisse nasci cum ex aliis exemplis intellegitur tum ex fab. 70 epimythio, cuius de versu 7 conferas, quaeso, quae supra pag. 20 fusius exposui. Neque vero est, cur πρός scribere h. l. dubitemus, quia in versu 10 cod. A. exhibeat ὑπ' οἰκείων. Nonnunquam enim fit, ut eodem plane modo atque h. l. pro repetita eadem praepositione ponatur praepositio significatione similis. Conferantur autem, quae dixit Sophocles in Trach. v. 150: πρὸς τῶν θανόντων μηδενὸς θανεῖν ὕπο. — Duebneri deinde coniecturam πάθῃς Lachmannus et Schneidewinus in contextum receperunt, castigavit Maehlyus. Offendebat autem in τι (v. 10), quod post οὐδὲν in v. 9 durum esset atque insolitum (l. l. p. 322). Equidem quamquam Maehlyo non plane assentior, quoniam fieri poterat, ut τι adverbialiter poneretur ('auf irgend welche Weise, irgendwie, etwa'), tamen Boissonadii coniecturam, quam confirmasse mihi videor, leniorem existimo et probabiliorem quam illam Duebneri. Sed utut res se habet, sive πρός scripturam archetypi fuisse sive πάθῃς maluerimus, multo esse verisimilius concedendum erit productionem, quae videatur, vitiosam librarii mendo exortam esse quam interpolatoris fraude. Itaque non habeo, cur epimythium sensu et sermone elegantissimum a Babrio abiudicem.

[99]) cf. Papii lex. vol. II, pag. 728, c.

fab. 40.
Camelus rapidum fluvium traiciens cum videret excrementa, quae fecerat, praevertere ipsam: 'Vae mihi', exclamavit, 'posteriora mea me praecedunt'.
Tum in cod. A. hi versus secuntur epimythii loco positi:

40, 5. *πόλις ἄν τις εἴποι τὸν λόγον τὸν Αἰσώπου,*
ἧς ἔσχατοι κρατοῦσιν ἀντὶ τῶν πρώτων.

Quos versus ante Eberhardium nemo non probavit. Eberhardius vero qua causa repudiaverit, nusquam exposuit. Sed quoniam metro Babriano respondent atque sententiam praebent aptissimo modo e fabula petitam, displicuisse ei non videntur nisi quod diceretur *πόλις ἄν τις εἴποι τὸν λόγον* pro *περὶ πόλεως ἄν τις εἴποι* vel *πρὸς πόλιν καταχρέοιτο* (cf. 34) *ἄν τις τῷ μύθῳ* vel similia. Boissonadius iam elocutione illa offensus de suo mutavit *πόλιν ἄν τις εἴποι τὸν λόγον.* Suo autem iure editores ad unum omnes Boissonadii coniecturam repudiaverunt. Elocutiones enim illas '*ταυτὶ λέγεις σὺ τὸν στρατηγόν, κακὰ λέγειν τινα*' similes, quas respiceret, diversam rationem habere iam Duebnerus recte monuit, qui in versu 5 *πόλις ἄν τις εἴποι* optime dici censebat, cum res publica suam facere posset orationem cameli (cf. pag. 41). Similiter ceteri fere omnes viri docti cod. A. lectionem recte se habere arbitrati sunt. Equidem multo verisimilius esse crediderim hoc epimythium ab ipso Babrio compositum esse licentia quadam uso poëtarum propria quam a diasceuasta quodam nullius fere ingenii, quem puto conscripturum fuisse pro *πόλις ἄν τις εἴποι* simile quoddam ac paraphrastes: *ἁρμόζει ὁ μῦθος (ἐν) πόλει, ἧς ἔσχατοι* . . . .[100]) Itaque non opus videtur esse coniecturis ut:

[100]) cf. paraphr. Bodl. pag. 11.

εἰς πόλιν ἂν εἴποι τὸν λόγον τις Αἰσώπου

similibus, sed una cum omnibus fere editoribus retineri posse cod. A. scripturam existimo.

fab. 41.

'Lacertus serpenti se aequaturus longitudine disrumpitur.'

Epimythium, quod in cod. A. legitur:

41, 3. *βλάψεις σεαυτὸν*[101]) *κοὐδὲν ἄλλο ποιήσεις,*
ἂν τόν σε λίαν ὑπερέχοντα μιμήσῃ.

Babrii est, sive fabulam decurtatam[102]) esse censemus, ut Boissonadius, Eberhardius, Rutherfordius, Crusius[103]) voluerunt, sive integram.[104]) Versus enim omni et metri et sermonis vitio carent optimeque cadunt in sensum fabulae.

fab. 43.

'Siti vexatus ad aquam ibat cervus: ubi cum venisset, dum astaret aquae, in ea se vidit et cornuum quidem nexum miratus accusavit pedum infirmitatem. At venatores supervenientes pedum pernicitate per campum effugit: in silvam autem densam ingressus cornibus inter frutices implicitis captus est.'

---

[101]) perperam Boissonadius scripsit *σεαυτήν*, quod iam Baiterus recte reiecit: 'Non ad lacertam', inquit, 'iam disruptam dicuntur hi duo versus, sed sunt epimythium atque appellatur homo, qui fabellam legit vel audit.'

[102]) Eberhardius, Rutherfordius, Crusius cum mutilatam tantum fabulam censerent, Fixius pro spuria totam habuit, quia idem argumentum in fab. 28 a Babrio tractatum esset. Quam causam esse nullam vix opus est monere.

[103]) paraphrasis Parisina, qua Crusio videatur demonstrari fabulam decurtatam esse, mihi non prae manibus erat.

[104]) sic Schneidewinus (Götting. gel. Anz. 1845, pag. 28), quocum consentiunt Lachmannus, Lewisius, Bergkius; ceterum conferantur Phaedri fabb. I, 7; IV, 10; IV, 24, quae similiter constant ex versibus duobus epimythio duorum versuum adiuncto.

Epimythium in cod. A. subiunctum est fabulae horum quattuor versuum:

43, 16. *περὶ τῶν σεαυτοῦ πραγμάτων ὅταν κρίνῃς,*
μηδὲν βέβαιον ὑπολάβῃς προγινώσκων,
μηδ'[105]) *αὖτ' ἀπογνῷς μηδ' ἀπελπίσῃς· οὕτω*
σφάλλουσιν ἡμᾶς ἐνίοθ' αἱ πεποιθήσεις.

Quos versus omnes viri docti exceptis nonnullis, e quibus Lewisium affere liceat (qui mihi quidem ex omnibus fere editoribus in epimythiis diiudicandis longe maxime aequo atque sano iudicio usus videtur esse) pro spuriis habuerunt. Atque sensum, ut ab eo incipiamus, epimythii omnino cadere in fabulam, qui nullis praeoccupatus opinationibus hanc affabulationem percurrerit, concedat necesse erit. Demonstrari enim Babrius volebat hac fabula, ne si nostrarum ipsorum rerum rationem duceremus neque firmum quidquam poneremus neque ulla de re desperaremus, quia deciperemur nonnumquam nimia mentis confisione. Quae quam apta sint, lectitata Hertzbergii interpretatione versibus inclusa fortasse melius intellegitur:

Wenn du in deinen eigenen Sachen urteilst,
So darfst du nichts im voraus für gewiss nehmen
Noch auch verwerfen und die Hoffnung aufgeben,
Da manchmal uns die Zuversicht täuschet.

Sententiam igitur, quam continet epimythium, aptam esse apparet. Neque vero hac de causa editores epimythium reiecerunt (equidem enim nullum inveni castigantem epimythii sensum utpote fabulae non accomodatum), sed aliis in rebus videntur haesisse. Atque Lachmannus et Crusius versum 18

---

[105]) sic recte emendarunt Baiterus (collato fab. 18 versu 25) et Lachmannus pro cod. A scriptura: *μή τ' αὖ ἀπογνῷς μὴ δ' ἀπ . . .* Aliter Piccolosius: *μήτ' οὖν ἀπ . . . μήτ' . . .*

ab arte Babriana alienum censuerunt (proleg. pag. LI). Abhorrere enim *ἐνίοθ'* vocem a lege quadam, qua usum Babrium in polysyllabis post duas breves ultimam non abiecisse ipsis viderentur observasse. Sed vereor, ne haec, quae spectat ad elisionem, lex una ex iis sit, quas editores fecerunt, non poëta. Nihil enim est, cur elisionem illam non admiserit Babrius, qui fab. 8, 2 eodem plane modo diceret *πότερ' ἀναβαίνειν.* Quod exemplum Lachmannus non ausus est in suspicionem vocare,[106] Crusius vero irritum esse existimavit, quia inveniretur in fabula decurtata. Sed hanc Crusii causam nullam esse quis est, quin intellegat! Nihil enim est, quo fabulam illam a tetrasticha misere depravatam esse demonstretur, neque quisquam ante Eberhardium et Crusium tetrastichae vestigia animadvertit. Quae cum ita sint, elisiones *πότερ' ἀναβαίνειν* et *ἐνίοθ' αἱ* altera alteram defendunt neque est, cur ab arte eas Babriana alienas iudicemus.[107] Fuerunt etiam, quibus sermo huius epimythii videretur non Babrianus. Offendebant autem in vocabulis *πεποίθησις* et *ἀπελπίζειν.* Atque primum quidem *πεποίθησις* vocem significatione adhibita persuasionis cum animi confisione (confidentiae, fiduciae), quamquam exceptis Josepho, Philone, Zosimo, Sexto Empirico in solis libris sacris Judaeorum et Christianorum invenitur, tamen fieri potuit, ut Babrius usurparet. Babrius enim, ut cum Zachariaeo dicam, quamquam multis in rebus cum scriptoribus atticis concinit et saepe locutionibus proprie atticis utitur, tamen haud raro sibi indulget: verba nonnulla significatione vel constructione inusitata induit neque curat semper

[106]) cf. edit. praef. pag. XV.

[107]) recte fecit Ficus, quod legem illam Lachmannianam de elisione non curavit: cf. l. l. pag. 845 sq.

Atticistarum praecepta. Permulta inveniuntur in Babrii fabulis vocabula, quae apud scriptores admodum seros demum leguntur. Quae singula h. l. enumerare longum est et supervacaneum, quoniam cum Schneiderus (l. l. pag. 533) et Eberhardius (obs. Babr. pag. 17—22) tum Zachariaeus[108]) summa diligentia sermonem Babrianum perscrutati omnia eiusmodi exempla contulerunt. Quae si percurreris, *πεποίθησις* vocabulum in eorum numero posse haberi concedes, praesertim cum unum sit e verborum multitudine haud exigua, in quibus Babrium interpretes Alexandrini veteris testamenti (septuaginta) illosque, qui novum testamentum scripserunt inter sese concinere Schneiderus primus monuit, postea Zachariaeus dissertatione de Babrii sermone conscripta confirmavit (pag. 24). Itaque *πεποίθησις* vocabulum apud Babrium vix habet quidquam offensionis. Multo etiam minus suspectum fit *ἀπελπίζειν* significatione desperandi usurpatum, quod verbum ignotum veteribus frequentant recentiores ut Polybius (cum genitivo casu ut h. l. I, 55, 2), Diodorus, cum quibus Babrio multa communia esse idem Zachariaeus docuit (pag. 8). Defenditur deinde *ἀπελπίζειν* verbi usus vocabulo *ἐπελπίζειν* in fab. 1, 7. cum dativo usurpato significatione adhibita 'hoffen auf', quod idem serioris demum Graecitatis scriptoribus usitatum est. Quae cum ita sint, versus 16—19 neque metro, neque sermone, neque sensu a Babrio alieni videntur.[109]) Iam aliud accedit, quo Babrii esse hoc epimythium confirmatur. Habuisse enim ante oculos vides hos versus

---

[108]) vide dissertationis saepius iam laudatae partem alteram et tertiam.

[109]) animadvertendum est non solum paraphrasim Bodleianam exhibere hoc epimythium sed etiam aliam paraphrasim apud Coraësium pag. 113.

iam puerum illum Palmyrenum, qui scripserit tabulas, quas nunc vocant Assendelftianas,[110]) de quibus quantopere valeant ad epimythiorum auctoritatem defendendam, in prooemio huius dissertationis copiosius disserui (pag. 9).

fab. 44.

'Tres tauri una pasci solebant. Quos cum adoriri non auderet leo, subdolis sermonibus inimicitiam inter eos concitabat. Tum facile rapuit singulos.'

Epimythium, quod in cod. A. legitur:

44, 7. *ὅταν μάλιστα ζῆν θέλῃς ἀκινδύνως,*
ἐχθροῖς ἀπίστει, τοὺς φίλους δ' ἀεὶ τήρει.

vix credas a nonnullis editoribus reiectum esse. Tam pulchre se habet metro, sensu, sermone. At Hochius metricum vitium inesse versui altero arbitratus est (l. l. pag. 7). Vocis enim *ἀεί* priorem syllabam productam semper a Babrio usurpatam esse, quam ob rem in versus 8 pede quinto spondeum legi necesse esset ab arte Babriana alienum. Sed erravit ut semper fere Hochius. Fabulas enim si percurreris, *ἀεί* vocabulum ex iis esse invenies, in quibus ancipiti Babrium prosodia usum esse[111]) demonstravi et infra copiosius disseram. Corripuit vocalem *α* litteram in fab. 64, 9. 85, 7. [ubi quarto pede iambus purus postulatur], produxit in 31, 2; 39, 1; 61, 7; 63, 4; 112, 9; correpta sit an producta, in medio relinquitur in fabb. 12, 9; 31, 6; 74, 17; 95, 53; 102, 11, ubi per leges artis metricae licet et iambum et spondeum legere. Cum igitur nihil sit, cur Babrius in versus 8 pede quarto non corripuerit a vocalem vocis *ἀεί*, epimythium nullam praebet difficultatem metricam.

---

[110]) vide supra pag. 10.

[111]) etiam apud alios poëtas mensura anceps est, de qua re videas Morellii lex. Graeco-pros. vol. I, pag. 20.

Iam argumento gravissimo conciso, quo quis usus versum 8 a Babrio possit abiudicare, qui 'sine ira et studio' ad epimythia aggressus erit, hoc ipsum fab. 44 epimythium certe Babrianum esse concedet.[112])

fab. 52.

Tauri umeris trahebant currum. Cui stridenti bubulcus: 'pessime', inquit, 'quod clamas tu, quem aerumnose vehant tacentes.'

Epimythium legitur in cod. A hoc:

52, 7. *κακοῦ πρὸς ἀνδρός ἐστι μακρὸν οἰμώζειν*
ἄλλων πονούντων, ὡσείπερ αὐτός κάμνων.

Corruptum versum alterum alii aliter sanare conati sunt. Scripserunt Boissonadius *ὡσπερεί κάμνων αὐτός*, quam coniecturam valde miror quod Lachmannus et Schneidewinus (ignari scilicet legis illius metricae de accentu semper paenultimae imposito) in textum receperunt, Ahrensius *αὐτὸς ὡς ὑπερκάμνων*, Duebnerus *ὥσπερ αὐτὸς εἰ κάμνοι*, Sauppius *ὡς ἂν εἴ γ' αὐτὸς κάμνοι*, Hermannus *αὐτὸς ὡσπερεὶ κάμνων*. Ex quibus coniecturis maxime mihi probantur lenissimae illae Hermanni vel Duebneri, qui in hac structura nominativo *αὐτὸς κάμνων* offendebatur. In textum igitur altera recepta versus 8 bene currit, neque aliud quidquam esse puto, cur epimythium a Babrio abiudices. Sensus enim accomodatus est fabulae, sermo nihil molestus. Unde ut incipiam, *πρός* praepositioni cum genetivo coniunctae saepe vim inesse 'es liegt im Charakter jem., es ist die Art jem., es zeigt von' (id quod Latine dicitur 'est alicuius) testes sunt grammatici et lexicographi. Eodem plane modo *πρὸς* praepositionem in epimythio fab. 81 usurpatam videmus, quod epimythium Babrii esse infra demonstrabimus.

---

112) ceterum legerunt paraphrastae epimythium cod. A; cf. par. Bodl. p. 16, Coraës. pag. 193.

Ad sensum vero epimythii ut redeamus, optime castigari homines, qui cum alii operi insudent ipsi quasi de suis laboribus querantur, quis est, qui neget[113]). Accedit, quod idem fere epimythium legitur in paraphrasibus omnibus (*οὕτω καὶ ἔνιοι ἑτέρων μοχθούντων αὐτοὶ προσποιοῦνται κάμνειν* vel similia), ita ut iam Duebnerus hoc epimythium Babrii esse non negaret. Suo igitur iure nonnulli viri docti (ut Passeratius et Bergkius) videntur mihi versus Babrio vindicasse.

fab. 59.

Contendebant Juppiter, Neptunus, Minerva, quis pulchrum quid crearet. Condidit Juppiter hominem, Minerva domum, taurum Neptunus. Judex constitutus est Momus. Hic taurum vituperabat, quod cornua non essent infra oculos posita, ut ferienda cerneret, hominem, quod pectus non esset adapertile, quo consilia hominis cognosci possent; domum, quod locum non mutaret dominis peregre abeuntibus.

Epimythium, quod fabulae additum est:

59, 16. *τί οὖν ὁ μῦθός φησιν ἐν διηγήσει;*
πειρῶ τι ποιεῖν, τὸν φθόνον δέ μὴ κρίνειν.
ἀρεστὸν ἁπλῶς οὐδέν ἐστι τῷ μώμῳ.

omnes fere viri docti Babrio tribuerunt. Versus si lectitaveris, primum et tertium nihil offensionis praebere invenies. Alteri vero difficultas videtur inesse haud ita parva. Quaeritur enim sententia illius *τὸν*

---

113) in *κακός* vero voce utpote h. l. graviore non est, cur offendamus. Apto sane modo Hertzbergius vertit:

Des schlechten Kerles Weise ist's, zu wehklagen
Bei Andrer Müh', als ob er selbst sich abquälte.

Ceterum nos quidem similiter ac h. l. *μακρὸν οἰμώζειν* dicimus 'gross schreien, als ob'. [„Ein schlechter Kerl ist, wer gross schreit, als ob er sich abmüht, während andere arbeiten." Talem sententiam ex fabula posse duci manifestum est!]

φϑόνον δὲ μὴ κρίνειν qualis structura sit, qualis interpretatio. Atque primum quidem, qui cod. A. scripturam in contextu retinuerunt, quomodo hunc locum intellexerint, videamus: In his Boissonadius vertit: tenta facere aliquid nec iudex sedeat invidia'[114]), Lewisius: 'tenta aliquid facere et non anteponere 'invidiam' (de κρίνω autem ita usurpato monuit Aesch. Agam. 471, Eurip. Med. 641), Lachmannus, Passeratius, Schneidewinus, Bergkius quamquam scripturam nobis traditam retinuerunt, tamen quomodo explicanda sit, nihil protulerunt. Fuerunt deinde, qui in lectione cod. A. offenderent, in quibus primus Weisius 'verba τ. φ. δ. μ. κ. constructione cum reliquis non congruere, quippe praecederet imperativus' monuit. Quam ut difficultatem tollerent, alii aliis coniecturis operam dederunt. Scribi autem voluerunt Maehlyus (pag. 313): μὴ φϑόνον δὲ χρὴ κρίνειν vel μὴ φϑόνον ἔα κρίνειν, Eberhardius ('Verbesserungsvorschläge . . .' pag. 8): δεῖ φϑόνον δὲ μὴ κρίνειν vel οὐ φϑόνον δὲ δεῖ κρίνειν (postea in editione Maehlyi coniecturam probavit μὴ φϑόνον δ' ἔα κ.), Hochius: τὸν φϑόνον δέ μὴ κρίνει, Nauckius (Bullét. de l'acad. de St. Pétersb. XXII. (1877) p. 71): σὺν φϑόνῳ δὲ μὴ κρίνειν vel τὸν φϑόνον δ' ἔα χαίρειν, Gitlbauerus: τὸν φϑόνον δὲ δεῖ κρίνειν. Vides igitur quot virorum nomina tot coniecturas. Equidem hunc locum perscrutatus fieri non potuit, ut persuasum haberem scripturam cod. A. κρίνειν librarii manu depravatam esse. Quamquam non ignoro cod. A. scriptura κρίνειν retenta h. l. verbo κρίνειν vis subiciatur necesse esse scriptoribus Graecis, quod sciam, inusitata. Hanc de Momo fabulam si percurreris,

[114]) similiter Ribbeckius versum in linguam vernaculam vertit:

'Versuch zu schaffen, aber nicht der Neid richte.'

facile intelleges epimythium desiderari, quo moneamur, ne conati quid facere invidos curemus vel vituperatores, utpote quibus nihil placeat. Vidit iam Nauckius, qui, quod desiderabat, ex animi coniectura (*τὸν φθόνον δ' ἔα χαίρειν*) scripsit. Quae tamen coniectura mihi non probatur; quomodo enim cod. A. scriptura *τὸν φθόνον δὲ μὴ κρίνειν* oriri potuerit e lectione illa *τὸν φθόνον δ' ἔα χαίρειν*, non intellego, neque persuasit mihi Nauckius. Quaestio igitur fit, num liceat verbo *κρίνειν* vim subicere eam, quae huius loci sententia postuletur, i. e. 'beachten', 'achten auf'. Quod si licebit, versus 17 erit sensu optimus. Atque cum *κρίνειν* verbum usurpatum inveniatur significatione adhibita 'beurteilen', deinde 'sich entscheiden für', 'vorziehen' (cf. Papii lex. vol. I, pag. 1389), haud scio, an potuerit abire in notionem 'beachten'. Equidem huius epimythii Babrio certe digni maluerim verbo alicui significationem subicere inusitatam quidem, sed quae possit defendi, quam totum reicere epimythium elegantissimum. Si vero conicere non licebit a Babrio subiectam esse *κρίνειν* verbo significationem illam,[115]) aut Nauckii coniecturam *τὸν φθόνον δ' ἔα χαίρειν* necesse erit in textum recipi aut Eberhardi et Maehlyi *μὴ φθόνον δ' ἔα κρίνειν*, quae mihi quidem magis placet, utpote quae et lenior sit et defendi possit eis,

[115]) perscrutatus hunc locum primo conieci epimythium fab. 59 posteriore demum aetate compositum esse, qua verbo *κρίνειν* ut aliis multis vocabulis serioris Graecitatis alia significatio subiceretur. Qua de re cum neque Du-Cangium neque Sophoclem disserentem invenerim, Krumbacherum, serioris graecitatis hominem peritissimum, per litteras interrogavi. Et is, ut est comis atque benignus, ad me scripsit ipsum quidem nusquam invenisse verbum illud *κρίνειν* significatione adhibita 'beachten', sed ne inventa quidem licere nobis colligere epimythium seriore demum illa aetate compositum esse. — Coniecturas autem supra collatas supervacaneas censuit.

quae leguntur in ipsa fabula; ἡρέθη κριτὴς ὁ Μῶμος (vs. 5 6) ['ne sinas invidiam iudicare, sicut Momum iudicem constituerunt dii]. Sed utut res se habet, quoniam versum 17 retineri posse demonstravimus, aut qualis in cod. A. legitur aut qualis Eberhardio vel Maehlyo exaratus esse videbatur, aptissimum hoc epimythium, quod praebet paraphrasis Bodleiana,[116]) Babrio non veritus sum attribuere.[117])

fab. 64.

Abies de proceritate sua et utilitate multum gloriabatur. Cui rubus: At si bipennium te secantium memineris, optabis fieri rubus.

Epimythium legitur in cod. A. hoc:

64, 11. *ἅπας ὁ λαμπρὸς τῶν ἐλαττόνων μᾶλλον*
καὶ δόξαν ἔσχε χὐπέμεινε κινδύνους.

Quos versus omnes fere editores, quos quidem noverim, Babrio dederunt. Et recte mihi quidem videntur fecisse. Primum enim brevis syllaba in extremo versu 9 posita *(μᾶλλον)* defenditur fab. 112

---

[116]) cf. pag. 19 (nr. 43.); unde apparet paraphrasim nobis non auxilio venire ad epimythii versum 17 melius intellegendum. Paraphrasta enim cum versum 18 ad verba fere exprimeret, versum antecedentem ut saepe circumiit.

[117]) ceterum primus epimythii sensum cum fabula non congruere censuit Weisius (cf. edit. pag. 93): 'Sermonem enim esse non de invidia (ut in v. 17) sed de Momo. Forsitan ergo postremum tantum genuinum ex affabulatione iudicandum esse'. [Idem fere Hochius pag. 25: 'agitur non de invidia (φθόνῳ) sed de Momo. Sufficeret unus versus 18', qui non dubium est, quin Weisium secutus sit; sed ut de suis auctoribus solebat tacere (id quod recte castigavit Eberhardius edit. praef. XI), hoc quoque loco Weisii ne una quidem voce mentionem fecit]. Neque tamen hac in re Weisio assentior. Nomina enim φθόνος et μῶμος synonyma fere — ut ita dicam — sunt, quatenus vituperatio saepe ex invidia effluat. Itaque non mirum, quod coniunxerunt utrumque nomen scriptores Graeci.

v. 9, ubi idem vocabulum in fine versus a Babrio admissum esse videas, quam cod. A. scripturam omnes editores retinuerunt. Sensum deinde ipsi fabulae accomodatissimum esse, qui fabellam lectitaverit, concedat necesse erit (comparari autem potest cum epimythiis fabb. 4. 31. 112.). Denique in sermone equidem nihil inveni, quod a Babrio alienum sit, nec invenerunt viri docti. At Hochius *μᾶλλον* semibarbare dictum esse monuit Babriumque debuisse scribere *μεῖζω*. Cui ut assentiar, fieri non potest. Nam tali constructioni verborum, qualis h. l. legitur *καὶ δόξαν ἔσχε καὶ κινδύνους ὑπέμεινε*, praemissum *μᾶλλον* aptius videtur quam *μεῖζω καὶ δόξαν ἔσχε καὶ ⟨μείζους⟩ κινδύνους ὑπέμεινε*, quae haud scio, an durius dicantur. Accedit, quod *μᾶλλον* non tam *δόξαν* et *κινδύνους* nominibus attributum est quam verbis, quae cum nominibus quasi in unum coalescunt verbum ita, ut *δόξαν ἔχειν* idem valeat ac *εὐδοκιμεῖν* et *κινδύνους ὑπομένειν* idem atque *κινδυνεύειν (μᾶλλον καὶ εὐδοκιμεῖ καὶ κινδυνεύει)*. Sed utut res se habet, *μᾶλλον* h. l. adeo molestum esse, ut tolerari non possit, una cum viris doctis artis grammaticae certe haud ignaris, qui hoc epimythium Babrio attribuerunt, eo infitias. Denique quod Crusius monuit omissum esse cod. A. epimythium et a paraphrasta (Bodleiano) et ab Aviano argumentum est non adeo premendum. Conferas, quaeso, hac de re, quae supra (pag. 12 sq.) fusius explicavimus. Quae cum ita sint, epimythium defendo.

fab. 65.

'Pavoni splendidas pennas iactanti dixit grus: Verum meis pinnis, quas contemnis cinereas, proxime ad astra accedo: tu aureis illis ultra humum non evolas.' Fabulae in cod. A. hoc subiunctum est epimythium:

65, 7. *θαυμαστὸς εἶναι σὺν τρίβωνι βουλοίμην*
ἢ ζῆν ἀδόξως πλουσίᾳ σὺν ἐσθῆτι.

Venustum hoc epimythium[118]) et sensu et sermone Babrio dignissimum fieri non posse censeo, ut ob unam brevem syllabam in altero versu extremo positam *(ἐσθῆτι)* leni emendatione certe non tollendam respuamus, qua de re conferas, quaeso, quae supra (pag. 45 sqq.) copiosius diximus. Diasceuastam vero serioris aetatis potuisse componere epimythium tantae plenum elegantiae difficile est ad credendum. Itaque recte mihi videntur viri docti ad unum fere omnes Babrio hos versus vindicasse, praesertim cum epimythium legatur in paraphrasibus omnibus (*ὅτι κρεῖσσον περίβλεπτόν τινα εἶναι σὺν πενιχρᾷ ἐσθῆτι ἢ ζῆν ἀδόξως σὺν πλουσίᾳ ἐσθῆτι* [Bodleiana]; *ὅτι κρεῖσσον περίβλεπτον εἶναί τινα πενιχρᾷ ἐσθῆτι ἢ ζῆν ἀδόξως ἐν πλούτῳ γαυρούμενον* [Augustana] Aliae similiter).

fab. 67.

Onager et leo una venantur. Praedae tres partes facit leo et: primam, inquit, sumam ut rex; alteram ut ex aequo socius: tertiam hanc si attigeris, vae tibi erit!

Epimythium, quod in cod. A. legitur:

67, 9. *μέτρει σεαυτόν· πρᾶγμα μηδὲν ἀνθρώπῳ*
δυνατωτέρῳ σύναπτε μηδὲ κοινώνει.

Eberhardius delevit, quem secuti sunt Gitlbauerus et Crusius. Sed neque Eberhardius neque eius, ut ita dicam, satellites quidquam protulerunt, ex quo alienum esse a Babrio hoc epimythium appareat. Neque vero fieri poterat, ut causam quandam excogitarent, qua commoti suo iure versus illos Babrio abiudicarent. Pulcherrimi enim sunt metro, sensu, sermone. Iam

118) miro quodam modo Kellerus ex hoc epimythio collegit Babrium philosophiae studiis incubuisse (cf. Jahrb. f. klass. Philologie, Suppl. IV (1862) pag. 391). Quae l. l. dixit, non minus incerta sunt, quam quae ex epimythio fab. 12 et 40 de Babrii vita sumpsit.

vero ne illud quidem argumentum, quod aliae si deficiunt causae, Crusius a paraphrasibus solet sumere, in hoc epimythium cadit. Paraphrases enim ad unam omnes epimythium exhibent cod. A.: *ὅτι καλὸν ἑαυτὸν μετρεῖν ἐν πᾶσι κατὰ τὴν ἑαυτοῦ ἰσχὺν καὶ δυνατωτέροις ἑαυτοῦ μὴ συνάπτειν μηδὲ κοινωνεῖν.* Quae cum ita sint, Babrii esse hoc epimythium pro certo affirmari potest.

fab. 79.

Carne canis rapta flumen tranabat, et ut vidit carnis umbram, suspicatus est maiorem esse quam ferebat, et dum tollit, amisit, quam possederat.

Epimythium fabulae additum est hoc:

79, 7. *βίος ἀβέβαιος παντὸς ἀνδρὸς ἀπλήστου*
ἐλπίσι ματαίαις πραγμάτων ἀναλοῦται.[119])

Epimythium, quod in ipsius fabulae sensum cadere nemo negabit, cur Lachmannus pro spurio habuerit, equidem nescio neque illum in praefatione quicquam huius epimythii castigantem invenies. At Crusius, qui ipse quoque hos versus uncinis seclusit, alienam esse hanc affabulationem a Babrii arte metrica censuit. Cavisse enim Babrium opera data vocum bisyllabarum ne ultima, polysyllabarum ne ultima aut paenultima breves in arsi soluta sub ictu essent.[120]) Inveniri autem in his versibus duas arses solutas ab hac lege alienas *βίος ἀβ.* et *ἐλπίσι.* Sed hanc legem

---

[119]) *ἀνήλωται* scripturam manus recentioris (vide Eberhardi edit. appar. crit.) male receperunt post Boissonadium Lachmannus et Lewisius. Proparoxytona enim in versus fine non admisit Babrius. Melius est, quod Passeratius scripsit *ἀνηλώθη*: talibus enim in sententiis aoristus est usitatissimus; cf. epim. fabb. 29; 64. Sed *ἀναλοῦται* cod. A scripturam iam legit Georgides.

[120]) cf. 'de Babrii aetate' diss. pag. 166. proleg. pag. XXXVIII (Lachm. praef. pag. XIV, Eberh. praef. pag. V); Ficus hanc legem l. l. pag. 833 perstrinxit.

non semper a Babrio servatam esse demonstratur fab. 8 v. 2 πότερ' ἀναβαίνειν, ubi in arsi soluta τερ' ἀν ultima syllaba disyllabi bibrevis πότερ' sub ictu est (πότερ' ἀναβ.).[121] Neque vero est, cur Graecus poëta talem legem satis molestam sibi statuerit; quod ut probaret, Crusius, proprietas illa choliambi Babriani cum plane aliena esset ab arte Graeca, frequens in Romana et elegans propter linguae Latinae accentum, quin a Romanorum disciplina metrica deprompta esset dubitari non posse arbitratus est ('de Babrii aetate' pag. 172). Sed errasse Crusium, quod Duebnerum secutus ad Latini choliambi formam Babrium choliambum suum finxisse putaret, supra iam demonstravimus. Quae cum ita sint, nobis non licet in Babrii fabulis recensendis hanc legem statuere, ut qui versus in arsi soluta habeat aut ultimam disyllabae vocis bibrevis aut breves duas postremas polysyllaborum ictu percussas, eum a Babrio abiudicemus, praesertim cum exemplum exstet nihil dubitandum[122]) (8, 2 πότερ' ἀναβαίνειν), quod ab illa lege abhorreat. Nihil igitur habeo, cur hoc epimythium, quod exhibet

[121]) cui exemplo haud scio, an addi possit, quod in fab. 29 v. 2 legitur: ὑπὸ μύλην; nam Eberhardius, qui in praef. pag. VI: 'praepositiones', inquit, 'disyllabae omnibus locis ictum habent in syllaba priore' non videtur respexisse fab. 98, 9 περιλαβεῖν, ubi praepositionis περί syllaba non prior sed altera ictu elata est.

[122]) deinde quod Crusius attulit exemplum βασιλέα δέ φησι (⏑ ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ -), non intellego. Proceleusmaticum non lego, quia non invenitur apud Babrium, sed versum scandendum censeo ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ ⏑ - ita ut habeamus tribrachyn in pede primo, anapaestum in altero. Tribrachyos vero βασιλε nihil illi legi repugnat. Ceterum Ludwichii me coniectura arridet βασιλέα φησι (cf. l. l. pag. 11). De 29, 2 cf. quae disserui pag. 43, adn. 83; de 95, 91 erravit Crusius: neque enim cod. A praebet ἔγκατα sed S(uidas).

paraphrasis Bodleiana (pag. 29), inseruit Babrii nomine addito gnomologio suo Georgides, spurium censeam, sed una cum Lewisio, Passeratio, Bergkio, aliis retineo.[123])

fab. 81.

Vulpes simio: quem vides, inquit, cippum, patris mei est atque avi. Respondet simius: Mentire audacter, quoniam non habes, qui te convincat.

Hoc epimythium fabulae subiungitur in cod. A.:

81, 5. *κακοῦ πρὸς ἀνδρός ἐστι μὴ φεύγειν ψεῦδος,*
κἂν λανθάνειν ψευδόμενος εὐχερῶς μέλλῃ.

Quos versus post Duebnerum editores longe plurimi a Babrio abiudicaverunt propter spondeum *φεύγειν* in quinto versus 5 pede positum. Sed probabili sane coniectura Fixii, qui simili plane modo atque in epimythio fab. 21 librarii errore cod. A. scripturam pro *φυγεῖν* exortam esse opinatus est, in textum recepta argumentum gravissimum concidit, quo usi illi viri docti epimythium proscripserunt. Itaque Lewisio et Bergkio assentior, qui Fixii coniectura probata epimythium defenderunt, neque Schneidewini rationem intellego artis criticae factitandae, qui cum epimythium fab. 21 coniectura Fixii *φυγεῖν* in contextum recepta tueretur, hoc fab. 81 epimythium eadem Fixii emendatione neglecta uncinis seclusit.[124]) Ceterum haud scio, an alio modo, atque Fixius voluerit, fab. 81 versui 5 medela parari possit ea, qua non solum spondeus iste tollatur sed brevis etiam syllaba in versu extremo admissa. Considerantibus enim nobis persaepe in Babrii fabulis librarii errore verborum ordinem mutatum esse veri simile videbitur hoc quo-

[123]) iam Knochium versus Babrio tribuisse video, cf. Babrii fab. et fabularum fragmenta, Halle (1835), pag. 191.

[124]) recte iam Maehlyus hanc Schneidewini inconstantiam castigavit l. l. pag. 321.

que loco vocabula quaedam perperam in versu collocata esse, quare et spondeus iste et syllaba brevis in fine versus exorerentur. Conicio autem archetypi scripturam fuisse hanc:

κακοῦ πρὸς ἀνδρὸς ψεῦδός ἐστι μὴ φεύγειν

qui versus plane respondet Babrii legibus artis metricae.[125]) (Caesuras habet penthemimeren et hephthemimeren, spondeus autem in tertio pede Babrio usitatissimus est). In ordine dein verborum non est, cur haereamus. Optime enim id ipsum vocabulum, quod h. l. plurimum interest ad improbi hominis morem declarandum et consuetudinem (*ψεῦδος*), videmus priorem tenere locum.[126]) (Latini eodem modo dicunt: 'improbi hominis mendacium est non fugere'). Sed iam ad alterum epimythii versum transeamus! Atque quod praebet in versu ineunte cod. A *κἂν*, h. l. tolerari non potest; sentential enim postulatur 'si' *ἂν* vel *ἤν*, non 'etiamsi, etsi' *κἂν*, id quod iam Boissonadius animadvertit, qui quamquam in textu cod. A. scripturam *κἂν* retinuit, tamen, quasi *ἂν* legisset, vertit 'improbi est hominis mendacio non abstinere, si latere mentiens facile queat'.[127]) Mala Hertzbergii interpretatio est, qui hoc epimythium sic in linguam vernaculam vertit:

[125]) *φεύγειν* verbi formas solitum esse Babrium in extremo versu ponere intellegitur ex fabb. 25, 4; 26, 6; 58, 6; 67, 8; 88, 11; 88, 18. (4, 3; 12, 22; 50, 8; 50, 17; 82, 7; 97, 9; 112, 6; 122, 12; 118, 11).

[126]) possis etiam sic constructionem verborum explicare: 'im Charakter des bösen M. liegt die Lüge, ein Charakterzug des bösen M. ist die Lüge, [nämlich] sie nicht zu fliehen, wenn . . .' Talis infinitivus epexegeticus, qui vocatur, scriptoribus Graecis usitatissimus est.

[127]) recte iam cod. A scripturam castigavit scriptor 'brev. explic.' pag. 53.

Ein schlechter Bursche ists, der nicht Lug und Trug meidet,
Wenn er die Lüge leichtlich auch versteckt hielte.

Passeratius, qui ipse quoque cod. A scripturam in contextu retinuit, per huius loci sensum non licere concessit *κἂν* intellegere 'etiamsi', 'etsi', sed interpretandum esse opinatus est 'surtout si'. Nullum vero attulit exemplum, ex quo *κἂν* dici pro *καὶ μάλιστα ἂν* appareat. Equidem librarium h. l. errasse atque coniecturam lenissimam Sauppii et Bergkii *ἂν* vel *ἢν* in textum recipiendam una cum Lewisio, Bergkio, Eberhardio censeo. Recte autem me hac de re iudicasse et tota loci sententia docet et paraphrasis Augustana, in qua hoc epimythium legitur: *οὕτω καὶ τῶν ἀνθρώπων οἱ ψευδολόγοι τότε μάλιστα καταλαζονεύονται, ὅταν τοὺς ἐλέγχοντας μὴ ἔχωσι.*

fab. 85.

In bello cum lupis gesto canes ex suis ducem delegerant Achaeum. Qui ob cunctationem acriter reprehensus ita se defendit: 'Hostes ad unum omnes unius sunt coloris et formae. Vos haec habetis diversissima; quomodo igitur discrepantes inter se ducam adversus eos, quibus cuncta inter se sunt communia?'

Hoc epimythium fabulae in cod. A. additum est:
85, 19 *συμφωνία μέγιστον ἀγαθὸν ἀνθρώποις·*
τὸ δὲ στασιάζον ἀσθενές τε καὶ δοῦλον.

Quod epimythium primus Duebnerus in suspicionem vocavit propter anapaestum in versus sede altera admissum *στασιάζον* (cf. l. l. pag. 28). Babrium enim quamquam in thesi brevem vocalem ante *ζ* et mutas cum liquida coniunctas interdum non produxisse viri docti concesserunt (cf. quae hac

de re allatis exemplis disserui pag. 18, 34), tamen in arsi ut h. l. semper produxisse censuerunt.[128]) Sed vereor, ne ut de correptione brevium syllabarum ante mutam cum liquida coniunctam in arsi a Babrio vitata erraverunt,[129]) ita etiam de brevi vocali in arsi ante *ζ* semper producta nimii fuerint. Neque tamen, ut non liceat *α* vocali ante *ζ* in arsi correpta h. l. tribrachyn legere *στ̆ᾰσῐάζον*, in anapaesto *στ̆ᾰσιάζον* esse censeo, cur offendamus. Tot enim in fabulis cod A. servatis inveniuntur anapaesti in sedibus paribus positi, ut librariorum erroribus ad unum omnes factos esse non liceat colligere. Conferam igitur h. l. necesse videtur omnes eiusmodi anapaestos, qui in cod. A. leguntur. Sunt autem hi:

a) in secunda versus sede:

fab. 3,2 *ἐπὶ σηκὸν ἄγειν*
3,5 *τὸ κέρας κατέαξε*
10,12 *τούτῳ κεχόλωμαι*
12,4 *τὸν Ἴτυλον ἄωρον*
22,12 *ἔθηκαν ἑκάστη*
33,13 *ἔλθωσιν ἐγώ*
43,5 *ἐπὶ τοῖς δὲ κέρασιν*
57,6 *τῷ τῶν Ἀράβων*
59,2 *κύων ἐδίωκεν*
75,6 *οὐκ ἐξαπατῶ*
75,16 *ἐπὶ τῷ θεραπεύειν*
76,12 *σάλπιγξ τ' ἐκέλευε*
88,17 *εἶπεν κορυδαλλός*
95,78 *βασιλέα δέ φησι*
111,8 *μεσογεῖον*.

b) in quarta versus sede:

fab. 1,9 *μὲν οἰστός*

[128]) cf. Eberh. obs. Babr. pag. 11.

[129]) hac de re vide, quae infra pag. 96 huius dissertationis exposui.

fab. 18,3 *τὴν σίσυραν*
18,13 *τὴν σίσυραν*
21,5 *πολλὰ γὰρ ἦν*[130]).

Ex hac tanta anapaestorum multitudine quamquam nonnullos librarii errore nasci potuisse concedo veluti 1.9 *δϊστὸς* pro *οἰστός*, 3,5 *κατέαξε* pro *κατῆξε*, 33,13 *ἔλθωσιν ἐγώ* pro *ἔλθωσ' ἐγώ*, 83.17 *εἶπεν κορυδαλλός* pro *κορυδαλλὸς εἶπε*, 95.78 *βασιλέα δέ φησι* pro *βασιλέα φησι*[131]), 111.8 *μεσογεῖον* pro *μεσόγεων*, tamen Babrium nonnumquam anapaestos in alterum quartumve pedem admisisse recte possumus colligere, praesertim cum nihil sit, cur Babrius excepta prima versuum sede anapaestos omnino vitaverit. Nam quod Duebnerus monuit Babrium in choliambis componendis non Graecorum consuetudinem sed Romanorum normam secutum anapaestis prima versus sede excepta vitatis Latinorum exemplum imitatum esse, qui ipsi quoque in choliambis anapaestos plane proscripsissent (l. l. pag. 25 et 30)[132]), suo iure cum Deutschmannus ('de Babrii choliambis', Wiesbaden 1879) et Wernerus ('quaestiones Babrianae' pag. 19 et 20) tum Ficus refellerunt (l. l. pag. 825. 826. 827. 831). Docuit enim Ficus Babrium Romanorum choliambographo-

[130]) in illorum anapaestorum numero non habui 51, 3 *ἔκειρεν ἀτέχνως* (Eberhardii enim coniectura *ἔκειρ' ἀτέχνως* cod. A. firmatur, qui exhibet *ἔκειρέν*). 64, 5 *στέγη τε μελάθρων*. 95, 32 *ἀκούεις ἔπρεπέ σοι* 95, 43 *κερδῷ δὲ χεῖρας ἐπεκρότησεν* quae exempla, cum ante mutam c. liquida coniunctam breves vocales nonnumquam a Babrio corripiantur, non necesse est anapaesti legantur, sed legere licet 64. 5. *τε μελαθρ.*, 95. 32 *εις ἔπρε*, 95. 43 *ρας ἔπεκρ.*

[131]) coniectura est probabilis sane Ludwichii, qui coniunctionem *δέ*, quae in archetypo in versu antecedente post *λέγε* legebatur, errore librarii in hunc locum transmigrasse opinatus est; cf. l. l. pag. 11.

[132]) sed ipse Duebnerus ex anapaestorum illorum exemplis septem critico commendanda esse concessit.

rum leges servasse cum Graecorum coniunctas ita, ut multo magis Graecorum leges metricas respiceret quam Romanorum. Plane igitur Fico assentior, qui Babrium (praesertim cum et in primo pede anapaestum longe saepius admitteret quam ceteri Graecorum choliambographi) nonnumquam anapaestum etiam in altero vel quarto versus pede posuisse censuit et, quos anapaestos in contextu retineri posse existimavit, eos commentationis saepius iam laudatae pag. 832 contulit.[133]) Lachmannus vero, Eberhardius, Crusius editores quid hac de re diiudicaverint, paucis commemorare opus est. Atque Crusium quidem, ut ab eo incipiam, parum sibi constitisse in propatulo est. Cum enim hoc fab. 85, v. 20 anapaesto interpolatoris fraudem coargui arbitraretur (cf. proleg. XXXVII), alio loco de anapaestis praeter primum pedem admittendis adhuc sub iudice litem esse professus (proleg. XXXV) anapaestos illos

fab. 18, 13 *τὴν σίσυραν*
27, 6[a] *ἀνεφγός*
57, 5 *τῷ τῶν Ἀράβων*
69, 2 *κύων ἐδίωκεν*
72, 20 *κορυδαλλός*
75, 6 *οὐ συναπατῶ*

in contextu retinuit concessitque dubitari posse, rectene corrigantur alii anapaesti ut 10, 12 *τούτῳ κεχόλωμαι*, quam lectionem cod. A optime servatam esse mihi persuasissimum est. Simili deinde modo a se ipse dissensit Eberhardius, qui cum in editionis praefatione (pag. IV) Babrium anapaestum in primam sedem admisisse, non admisisse in ceteras conten-

[133]) similiter hac de quaestione diiudicaverunt: Schneiderus pag. 537, Hermannus pag. 820, Schneidewinus (Götting. gel. Anz.) pag. 19, Nauckius mus. Rhen. vol. VI, pag. 630, Bergkius prooem. aest. pag. IV, Wernerus l. l. pag. 19.

derit, inveniri anapaestos in pede altero (fab. 88, 8) et quarto (fab. 18, 13), sicut Lachmannus concedere coactus est.[134]) Sed iam mittamus hanc metricam quaestionem! Fuerunt etiam, qui huius epimythii non tam metro quam sermone offenderent. Displicebat enim, quod praebet cod. A τὸ στασιάζον pro ἡ στάσις dictum. Atque quamquam neutri participium interdum usurpatum videmus pro substantivo veluti a Thucydide I, 142 'τὸ μὴ μελετῶν' pro ἡ μὴ μελέτη, ab Euripide in Iph. Aul. v. 1280 'τὸ κείνου βουλόμενον' pro τὸ ἐκείνου βούλημα, ab aliis alia, tamen facile est h. l. mutare τὸ δὲ στασιάζειν; saepius enim Babrius talem infinitivum articulo adiuncto usurpavit substantivi loco. Conferas quaeso: 4, 7 et 112, 10 τὸ μικρὸν εἶναι, 5, 12 τὸ μὴ καλῶς πράττειν, 31, 23 τὸ ζῆν ἀκινδύνως, 75, 16 ἐπὶ τῷ θεραπεύειν, 107, 15 τοῦ τὸ φῶς βλέψαι. Sed multo mihi probabilior videtur Ludwichii coniectura (cf. l. l. pag. 10) τὸ δ' ἐν στάσει ζῆν (quacum comparari potest illud τὸ ζῆν ἀκινδύνως); quae si in contextum recepta erit, versus 20 omni et sermonis et metri offensione carebit: brevi enim syllaba ον in extremo versu 20 posita non esse, cur haereamus, saepius iam dictum est. Tribrachys denique ille μέγιστον ἀγαθὸν in versus 19 pede quarto positus omnino legibus artis metricae Babrianae respondet.[135]) Quae cum ita sint, Ludwichii praesertim coniectura in contextum recepta epimythium sensu fabulae accomodatissimum Babrio tribuo.[136])

[134]) cf. obs. Babr. pag. 5.

[135]) cf. Fici dissert. pag. 838.

[136]) fieri non potest, ut Lewisio assentiar, qui versum 19 Babrii esse censuit, versum 20 utpote interpolatoris fraude additum uncinis seclusit, ut epimythium evadat unius versus. (similiter epimythia fabb. 29 et 94 uno versu spoliavit [29, 5; 94, 10].

fab. 87.
Canis leporem persequens modo mordebat modo adulabat. Cui lepus: esto simplex! nam amicus si es, quid mordes? si hostis, quid adulas?
Fabulae epimythium in cod. A adiunctum:

87. 6. *ἀμφίβολος οὗτός ἐστι νοῦς ἐν ἀνθρώποις,*
οἷς οὔτ' ἀπιστεῖν ἔχομεν οὔτε πιστεύειν.

primus Lachmannus uncinis seclusit nulla allata causa. Neque qui Lachmannum secuti sunt Schneidewinus, Eberhardius, Crusius ipsis, quid huius epimythii displiceret, exposuerunt. Equidem quamvis versus perscrutatus sim, nihil inveni, quod ab arte Babriana alienum sit. Respondent enim plane legibus artis metricae (de dactylo autem in prima sede v. 6 cf. Ficum pag. 839 sub 4), sermonis nihil offensionis praebent (cf. epimythium fab. 36 similiter dictum, quod Babrii esse supra docui), omnino cadunt in fabulam. Quae cum ita sint, suo iure Lewisius, Passeratius, Bergkius, alii hoc epimythium etiam paraphrasibus[137]) expressam Babrio tribuerunt.
fab. 94.
Lupus, cuius in faucibus os haeserat, ardeae condignam mercedem promisit, si collo demisso illud extraheret. Quo facto cum avis mercedem postularet: Nonne, inquit, lupus, satis est hoc mercedis, salvum caput ore lupino extraxisse?
Hoc epimythium legitur in cod. A:

94.9 *κακοῖς βοηθῶν μισθὸν ἀγαθὸν οὐ λήψῃ,*
ἀλλ' ἀρκέσει σοι μή τι κακὸν πάθοις.

Versum alterum claudicantem alii aliter sanare conati sunt. Atque Boissonadius *τῶν κακῶν* correctionem manus recentioris, qua in cod. A *τῶν* voci *κακὸν*

[137]) cf. par. Bodl. pag. 30 (nr. 68) et Augustan. pag. 70 nr. CXXXV.)

suprascriptum legitur et *κακὸν* in *κακῶν* mutatum, in textum recepit, quem secuti sunt editores fere omnes. Contra Eberhardius et Nauckius scripturam manus primae *κακόν* retinendum et *καὶ* inter voces *τὶ* et *κακὸν* intericiendum censuerunt. Quam coniecturam etsi lenissimam esse concedo, tamen emendationem manus recentioris praefero collato fab. 24 versu 7, ubi eodem fere modo Babrius dixit *τί μὴ πάθωμεν τῶν κακῶν.* Deinde quod monuit Boissonadius in extremo versu pro cod. A scriptura *πάθοις* infinitivum *πάσχειν* scribendum esse suo iure omnes editores assensi sunt:[138]) paenultimam enim versus longam esse semper aut natura ut plerumque aut positione res est confessa.[139]) Nihil igitur est, cur versui 10 medela parata: *ἀλλ' ἀρκέσει σοι μή τι τῶν κακῶν πάσχειν* (sed satis tibi erit mali quid non pati) hoc epimythium sermone, metro,[139b]) sensu[140]) accomodatissimum reiciamus.

fab. 98.

Leo formosae puellae amore captus eam sibi uxorem poscit. Pater despondet, si formidabiles virgini ungues et dentes sibi praecidendas curet. Quo facto iam inermis obtruncatur.

Epimythium fabulae in cod. A. subiunctum:

98, 21. *αὐτός τις αὑτὸν λανθάνει κακῶς δράσας,*
ὧν οὐ πέφυκε μεταλαβεῖν ὅταν σπεύδῃ.

[138]) levis est coniectura, quae infinitivi formis dedita opera in extremo versu a Babrio positis, ut bene currerent versus exeuntes, commendatur (cf. supra adn. 125 et Crus. proleg. pag. XLV sq.).

[139]) vide supra pag. 44; neque vero fieri potest, ut Crusio assentiar, qui in app. crit: 'sed haud scio an admiserit *α.*'

[139b]) in quattuor monosyllabis continuatis *σοι μή τι τῶν* non haerendum esse docet 58, 4 *τί ποτ' ἦν ἐν.*

[140]) cf. epimythium paraph. August. sententia simillimum pag. 79 (nr. CLIII).

post Duebnerum Lachmannus, Schneidewinus, alii pro spurio habuerunt. Atque Duebnerus quidem quare commotus sit haec scribere: 'epimythium, v. 21 et 22, non est Babrii' (l. l. pag. 59), non intellego neque, qua de causa hoc epimythium displiceret, aliorum quisquam, qui reiecerunt, explicavit. Mihi quidem versus illos iterum atque iterum perscrutanti nihil occurrit, cur proscriberem. Primum enim metro et sermone optimi sunt. Ad sensum deinde quod attinet, epimythium tale, quale in cod. A. legitur 'nocet inscius ipse sibi, qui eorum fieri particeps cupit, quae negavit natura', fabulae accomodatissimum esse quis est, qui neget! Quod vero paraphrases alia praebent epimythia, non est, cur hoc ipsum epimythium, quod in cod. A. legitur, Babrii non esse colligas. Paraphrases enim si percurreris, saepius factum esse videbis, ut ex una fabula plura epimythia paraphrastae peterent et a se diversa, prout quisque ipsam fabulam intellegeret. Babriana autem cod. A. epimythia prae paraphrasium semper fere multo aptiora esse invenies et venustiora.[141]) Ita etiam hoc epimythium cod. A. omnino cadit in sensum fabulae.

fab. 103.

Leo senio correptus cum suis viribus cibum sibi parare non iam posset, in antro manebat aegrotum se esse simulans. Tum bestias eum visitantes unam post alteram nullo labore comedebat. Vulpes autem astuta dolum sensit et procul stans regi blande invitanti respondet: Non accedo, quoniam video tot intrantium vestigia, exeuntium ne unum quidem.

Epimythium cod. A.:

103, 20. *μακάριος ὅστις οὐ προλαμβάνει πταίσας,*
ἀλλ' αὐτὸς ἄλλων συμφοραῖς ἐπαιδεύθη.

[141]) ceterum conferas, quae de paraphrasium et cod. A epimythiorum ratione supra fusius disserui pag. 12.

inter editores primus reiecit Lachmannus, quem alii multi secuti sunt. Offendebantur autem tetrasyllabo *μακάριος* in initio versus posito. 'Tetrasyllaba', inquit L. (praef. p. IV), 'quorum prima brevis est, a primo pede arcentur nec scripsit Babrius sed interpolator *μακάριος* 103, 20'. Similiter Eberhardius (praef. p. IV): 'nunquam versum incepit aut a tribus aut a quattuor syllabis brevibus, quae uno vocabulo continerentur velut *μακάριος* aut uno tenore pronuntiarentur', et Crusius (proleg. p. XXXIX): 'tres vel quattuor breves uno vocabulo coniunctae ab initio versus omnino sunt exclusae'.

Equidem vero facere non possum, ut dedita opera a Babrio legem servatam esse concedam eam, quae ipsa indole choliamborum Babrianorum nihil postuletur. Quid enim, quaeso, est, cur Babrius, a quo tetrasyllaba, quorum prima brevis est, in aliis pedibus versus admissa esse invenies veluti 111, 12 *κατέπε σε* in secundo pede, 99, 3 *ἐγένετο* in tertio, talem tribrachyn a prima sede excluserit? Nihil igitur legem illam Lachmannianam probo neque probatam eam video a Ludwichio, qui fab. 95 v. 78 emendavit *βασιλέα φησί*, quam emendationem iam supra laudavi. Altera deinde difficultas Hochio videbatur inesse versui 20, qua commotus epimythium interpolatoris esse arbitrabatur. Dici enim *ὅστις οὐ* pro *ὅστις μή*. Neque tamen fieri potest, ut Hochio assentiar magis quam Lachmanno. Inveniuntur enim in Babrii fabulis exempla negationum *οὐ* et *μή* inter sese confusarum nihil dubitanda (*οὐ* admissum est, ubi *μή* exspectes: 46, 10. 131, 17 [Cr.], *μή* ubi *οὐ* 37, 10. 97, 8.)[142]) Nihil igitur video in hoc epimythio neque metri neque sermonis difficultatem. *προλαμβάνει* autem

[142]) cf. quae de permutatione negationum *οὐ* et *μή* aetati illi, qua Babrius floruit, usitatissima docuerunt cum Crusius

dictum eo modo quo solet *φθάνω* et *πταίω* verbum significatione adhibita 'einen Unfall haben', 'in Unglück geraten' scriptoribus et solutae et vinctae orationis est usitatissimum. Ad sensum denique quod attinet, epimythium, quale h. l. habemus: 'beatus ille, qui non prior incidit in calamitatem sed aliena calamitate doctus sapuit', ipsi fabulae accomodatissimum esse vix opus est monere. Quae cum ita sint, epimythium paraphrasi etiam Bodleiana (pag. 73) expressam una cum Lewisio et Bergkio retineo.

fab. 111.

Propola sale onerat asinum, qui lapsus in rivo sarcinam sentit leviorem factam liquefacto sale. Hinc salem ferens iterum sponte cadit et surgit laetus leviorque. At fallens asinum propola spongiis onerat: sic iumentum iterato dolo suo multo magis oneratur. Epimythium fabulae hunc unum versum amplectitur:

111, 21. *πολλάκις ἐν οἷς τις ηὐτύχησε καὶ πταίει.*

Quod epimythium inter editores primus Lachmannus reiecit nulla allata causa. Crusius vero quod versum alienum esse existimavit ab arte metrica Babrii (proleg. XXXIX), quia dactylos, ubi admisisset, cavisset, ne qua brevis ex duabus postremis vocabulorum polysyllaborum syllabis sub ictu esset (*πολλάκις*), erravit. Fusius enim supra non esse docuimus, cur Babrio illam de arsi soluta legem vindicemus. Alia vero causa, cur elegantissimum hoc et sensu et sermone[143]) epimythium, quod exhibent tres paraphrases,[144]) reicias, non exstat. Recte igitur iam

proleg. pag. XXIX tum Schmidtius 'Atticismus' vol. I pag. 99, 246; II, pag. 62; III, pag. 89; IV, pag. 94, 623.

[143]) similiter atque h. l. Babrius verbum *πταίειν* verbo *εὐτυχεῖν* opposuit, adhibitum invenies a Xenoph. Cyrop. 3, 1, 26. Dem. 2, 20.

[144]) cf. paraph. Bodl. pag. 42 et Palat., Florent.

Bergkius contra Lachmannum defendit[145]) et Lewisius Babrio dedit.

fab. 119.

Opifex ligneam statuam Mercurii habebat misere vivens, quamvis deo diurnos honores solveret. Tandem iratus statuam deiecit; fracta effluxit aurum. Hinc homo: perversus es, inquit, cultum contemnis, praemio afficis contumeliam: novam hanc pietatem ignorabam.

Hoc epimythium legitur in cod. A:

119, 11. *καὶ τοὺς θεοὺς Αἴσωπος ἐμπλέκει μύθοις*
βουλόμενος ἡμᾶς νουθετεῖν πρὸς ἀλλήλους.
πλέον οὐδὲν ἕξεις σκαιὸν ἄνδρα τιμήσας,
ἀτιμάσας δ' ἂν αὐτὸν ὠφεληθείης.

Hos versus qui nullis praeoccupatus opinationibus lectitaverit, Babrii esse necesse erit concedat. Praeterquam enim quod sensu, sermone, metro elegantissimi sunt,[146]) quis est, qui credat interpolatoris ingenio effluxisse versus 11 et 12, quibus lepido sane modo sententia, quae inest versibus 13 et 14, cum ipsa fabula coniungitur. Qua in re Babrii admiramur artem, qui in hoc epimythio mentionem fecit Aesopi simili modo ac saepius Phaedrus in promythiis vel epimythiis (cf. I, 2. 3. 6. IV, 18.). Interpolator si huic fabulae epimythium addidisset, vix dubium est, quin satis habuisset solos versus 13 et 14 scribere vel similes ('docet fabula stolidos utilius contemni quam honore affici'), ut paraphrastas fecisse videmus. Accedit, quod hoc ipsum cod. A

[145]) cf. Philol. XLVII 'v. 21. tueor: clausula haec necessaria'.

[146]) Boissonadio non assentior, qui post v. 12 excidisse versum suspicatus est, quo sensus verborum πρὸς ἀλλήλους fieret explicatior. Nihil desideratur (πρὸς ἀλλήλους similiter dictum est 108, 3; amabat Babrius hanc elocutionem: cf. 31. 1; 33, 23; 64, 1).

epimythium in tribus paraphrasibus exprimitur.[147]) Quae cum ita sint, iam Duebnerus, quamvis severus esset in epimythiis diiudicandis, hoc epimythium Babrii esse putavit (pag. 67.) et recte viri docti fere omnes Duebnerum secuti sunt. Eos vero, qui hosce versus proscripserunt, non est, quod curemus. Neque enim Eberhardius, quare versus uncinis secluserit, exposuit neque, quod Hochius excogitavit (pag. 26), ad delendum hoc epimythium quicquam valet. Qui ab eodem homine christiano, cuius epimythium sit fab. 107, hoc epimythium fabulae 119 adiectum esse opinatus est, quippe cui offensioni fuerit novus ille, qui in fabula laudetur, deorum cultus. Ridiculam sane causam, quam suo iure post Hochium, qui Babrii fabulas recensuerunt, non respexerunt. Mihi quidem hoc epimythium ad ipsum Babrium referendum esse persuasissimum est.

fab. 127 (edit Crus.) = 130 (edit Eberh.).

Juppiter Mercurium iussit omnium hominum peccata in testulis scripta reponere in arca, ut singulorum peccatis in unum collectis iustas cuique poenas statueret. Sed testulis illis inter se commixtis fit, ut haec cito, illa sero in Jovis manus incidat, si quando ipsi poenas statuere placet.

Fabulae cod. V[148]) nobis traditae epimythium additum est hoc:

---

[147]) cf. par. Bodl. pag. 45, Florent. pag. 119, Coraës. pag. 71.

[148]) ceterum h. l. commemorare liceat fabulis cod. V servatis similiter atque fabulis cod. A saepissime pedestria epimythia subiuncta esse. Atque monendum est fabularum nobis codd. et V. et A. traditarum epimythia pedestria modo ad verbum inter sese congruere (Vat. 17 = Ath. 21, Vat. 68 = Ath. 83, Vat. 88 = Ath. 90, Vat. 97 = Ath. 100, Vat. 114 = Ath. 114, Vat. 216 = Ath. 12, Vat. 217 = Ath. 88, Vat. 242 = Ath. 77), modo in cod. V omissa esse (cf. Vat. 20 et Ath. 120, Vat. 30 et

τῶν οὖν πονηρῶν οὐ προσῆκε θαυμάζειν,
ἢν θᾶσσον ἀδικῶν ὀψέ τις κακῶς πράσσῃ.

Quod epimythium sane elegantissimum ne Knoellius quidem, quamvis non aestimaverit epimythia Babriana (vide supra p. 9, adn. 28), a Babrio abiudicare ausus est.[149]) Et suo iure omnes, quos quidem novi, editores hos versus Babrio tribuerunt,[150]) quibus et, quid sibi velit fabula, optime exprimitur et metri sermonisque elegantia inest vere Babriana.[151])

fab. 136 (edit. Crus.)

Unicum filium strenuum et venandi studiosum pater senex olim in somnis vidit a leone trucidari. Timore igitur commotus, ne vera quando insomnia fierent, aedes amoenissimas, in quibus laetam vitam traducere posset, filio suo condidit earumque parietes ad eius animum delectandum omnium animalium formis depingi atque exornari curavit. Inter has vero leonis etiam imaginem fecit. Quam ubi iuvenis vidit quasi femina in carcere inclusus, tanta indignitate perculsus est, ut picto in pariete leoni vim inferre conaretur. Qua in re ipsius manus vulnerata est, quo vulnere ille febri subsecuta citissime e vita ereptus est.

Editiones si percurreris Lachmanni (nr. 135), Schneidewini (nr. 135), Eberhardii (nr. 138), Gitlbaueri (nr. 142), Crusii (nr. 136) hoc epimythium illi fabulae additum esse invenies:

Ath. 27, Vat. 64 et Ath. 68. Vat. 90 et Ath. 100, Vat. 122 et Ath. 117, Vat. 211 et Ath. 28). Fabulis denique solo cod. V nobis traditis (cf. Crus. edit. pag. 112 sqq.) longe plurimis epimythia pedestria addita sunt.

149) cf. l. l. pag. 668.

150) ipsum Eberhardium et Rutherfordium vides hoc epimythium pro genuino habuisse.

151) cf. etiam promyth. paraph. Bodl. pag. 48 (nr. 105).

ἅ σοι πέπρωται, ταῦτα τλῆθι γενναίως
καὶ μὴ σοφίζου· τὸ χρεὼν γὰρ οὐ φεύξῃ.

Sumpserunt hoc epimythium editores ante Crusium ex Etymologico Magno, in quo sub voce *πεπρωμένον* Babrio nominato versus illi conferuntur. Monuit vero primus Coraësius hos versus esse epimythium fabulae illius 'de filio et picto leone', quae legitur in cod. Florentino (cf. Corays, *Μύθων Αἰσωπείων συναγωγή*, Paris 1809, pag. 174, 393, 441, Furia, fabulae Aesopicae, Lipsiae 1810, pag. 79, nr. 187, Halm, fab. Aesop. collectae, Lipsiae 1852, pag. 172). Et quod Coraësius coniecerat, tabulis quae vocantur Assendelftianis confirmatum est. Invenitur enim in tabulis non solum fabula illa de filio et leone picto, sed etiam illud ipsum epimythium, quod legitur in Etym. Magno, (omissis pueri errore verbis *ἅ σοι πέπρωται*). Epimythium igitur habemus vetustissimum, ne dicam Babrio aequale, neque potest dubitari, quin ipsius Babrii sit, praesertim cum, ut iam supra diximus (pag. 9), elegantissmum sit sensu, sermone, metro.[152])

B. Altera dissertationis pars, in qua de epimythiis disseritur, de quibus Babrii sint necne, possit dubitari.

fab. 9.

Piscator tibiis canebat credens ita se allecturum pisces. Qua spe frustratus sagena iacta cepit plurimos: quos palpitantes sic irridebat (v. 9 et 10):

ἄναυλα νῦν ὀρχεῖσθε. κρεῖσσον ἦν ὑμᾶς
πάλαι χορεύειν, ἡνίκ' εἰς χόρους ηὔλουν.

Quibus versibus quamquam apto sane modo fabula et finitur et, quid sibi velit, demonstratur similiter atque factum esse videmus a Babrio in fabulis supra

152) legitur epimythium in paraph. Bodl. pag. 60, Florent. Fur. pag. 79, Palat. (Neveleti pag. 631.)

inde a pag. 14 usque ad pag. 24 tractatis, tamen in cod. A epimythium additur tres complectens versus hos:

9.11. *οὐκ ἔστιν ἀπόνως οὐδ' ἀλυόντα κερδαίνειν,*
ὅταν καμὼν δὲ τοῦτο θέλῃς ὅπερ βούλει,
τὸ κερτομεῖν σοι καιρός ἐστι καὶ παίζειν.

Suo iure pro cod. A. scriptura *τοῦτο θέλῃς* mendo quodam librarii exorta Boissonadii lenissimam coniecturam *τοῦθ' ἕλῃς* editores in textum receperunt. Recte deinde haeserunt in constructione illa valde suspecta *τὸ κερτομεῖν καιρός ἐστι*, quam miror quod in contextu retinebant Schneidewinus et Crusius. Talem enim infinitivi usum vix h. l. tolerari posse apparet, quare editores lectionem *τὸ* librarii errore factam esse rati alii in *τοῦ* genetivum mutaverunt a *καιρὸς* voce pendentem, alii in *τότε* particulam. Neque tamen versus ita sanatos Babrii esse viri docti longe plurimi arbitrati sunt. Legitur enim in v. 11 *ἀλύοντα* vox, quae si retinetur, anapaestum efficit in quarto pede. Hunc autem, qui suspectus videretur, ut delerent, alii alia coniecerunt. Sed quoniam Babrium anapaestos (praeter primum pedem) nonnunquam in altera quoque vel quarta versus sede admisisse supra (pag. 75) demonstravimus, in voce illa *ἀλύοντα* non haerendum esse existimo: neque vero a sermone Babriano *ἀλύειν* verbum alienum est. Nam viri docti, qui de Babrii sermone fusius disseruerunt, ut Zachariaeus et Eberhardius, vocabula multa in Babrii fabulis legi recte monuerunt, quibus scriptores seriores tantum usi sunt, multa obsoleta moreque Alexandrinorum denuo in usum sermonis adscita. Imitatum vero esse Babrium inter serioris Graecitatis scriptores cum alios tum Aelianum Philostratumque et Zachairaeus et Eberhardius multis allatis exemplis docuerunt. Invenitur autem apud Aelianum et Philostratum verbum illud *ἀλύειν* significatione adhibita cessandi,

nihil agendi. Conferas Aeliani V. H. 103, 13: 162, 26; Philostrati Ap. 209, 5. H. 134, 10, 16; 153, 9. Quae cum ita sint, fieri potuisse, ut Babrius vocem illam insolitam ἀλύειν usurparet, nemo erit, qui neget. Nullam igitur difficultatem in v. 11 video nec artis metricae nec sermonis, qua commoti editores hoc epimythium Babrio abiudicaverunt. Alia vero causa exstare videtur, qua Babrius num revera hoc epimythium scripserit, valde dubium est, et ea quod omnes fere viros doctos fugit,[153]) vehementer miror. Sententiam enim epimythii si respexeris, omnino non eam esse, quam poëta fabula illa enarrata nos voluerit docere, facile intelleges. Atque primum quidem versus illi:

ὅταν καμὼν δὲ τοῦθ' ἕλῃς ὅπερ βούλει
τότε κερτομεῖν σοι καιρός ἐστι καὶ παίζειν.

quid sibi velint, non video. Cum enim, quae vehementer cupiveris, ea labore et opera adeptus eris, tum gaudere te atque iocari (*παίζειν*) consentaneum est. Quid vero est, cur ludibrio (*κερτομεῖν*) utare? *κερτομεῖν* igitur verbum propriae huic fabulae aptum est, epimythio, quod quidem ad universam hominum vitam atque mores spectare necesse sit, ineptissimum. Deinde — quod gravius est — in eo, quod pisces agunt, non piscator summam epimythii huic fabulae accomodati positam esse e versibus 9 et 10 dilucide apparet epimythii quasi munere functis. Monet hac fabula poëta, ut quaecumque agis, tuo quoque tempore agas, id quod nos

[153]) solis Hochio et Crusio exceptis, qui ineptum epimythii sensum tantummodo perstrinxerunt (cf. Hochii diss. pag. 24, Crus. in Real. Encyclop. a. Pauly-Wissowa edit. vol. II, col. 2661, qui epimythium fab. 9 in eorum numero haberi vult, quae prae se ferant, ut ipsis Crusii verbis utar, 'mangelhaftes Verständnis für die eigentliche Absicht der Fabeln').

quidem dicere solemus 'Alles zu seiner Zeit.' Recte autem hac de re me iudicasse cum ex epimythio *πρὸς τοὺς παρὰ καιρόν τι πράττοντας ὁ λόγος εὔκαιρος*, quod praebet fabulae paraphrasis apud Halmium pag 13,[154]) tum ex Herodoti lib. I cap. 141 cognosci potest. Quo loco Herodotus: *Ἴωνες*, inquit, *καὶ Αἰολέες, ὡς Λυδοὶ τάχιστα κατεστράφατο ὑπὸ Περσέων, ἔπεμπον ἀγγέλους ἐς Σάρδις παρὰ Κῦρον, ἐθέλοντες ἐπὶ τοῖσι αὐτοῖσι εἶναι τοῖσι καὶ Κροίσῳ ἦσαν κατήκοοι. ὁ δὲ ἀκούσας αὐτῶν τὰ προΐσχοντο ἔλεξέ σφι λόγον.* Iam enarrata fabula nostra Herodotus sic pergit: *Κῦρος μὲν τοῦτον τὸν λόγον τοῖσι Ἴωσι καὶ τοῖσι Αἰολεῦσι τῶνδε εἵνεκα ἔλεξε, ὅτι δὴ οἱ Ἴωνες πρότερον αὐτοῦ Κύρου δεηθέντος δι' ἀγγέλων ἀπίστασθαί σφεας ἀπὸ Κροίσου οὐκ ἐπείθοντο, τότε δὲ κατεργασμένων τῶν πραγμάτων ἦσαν ἕτοιμοι πείθεσθαι Κύρῳ* — piscium scilicet illorum more, qui quidem, cum piscator tibiis cecinisset, non saltaverunt, saltaverunt vero et palpitaverunt rerum necessitate (cf. *κατεργασμένων τῶν πραγμάτων*) coacti i. e. rete capti. — Ex hisce verbis Herodotum quoque, quid sibi voluerit fabula, intellexisse, non intellexisse eum, qui epimythium cod. A fab. 9 adiunxerit, in propatulo est.

[154]) similiter pedestre epimythium cod. A 'ὁ μῦθος λέλεκται πρὸς τοὺς παρὰ τὸ δέον τι ἐργαζομένους' [ματαίως cum Bergkio et Eberhardio omisi!] videtur esse intellegendum. Ad eos igitur hanc fabulam de piscibus et piscatore pertinere epimythistae suo quidem iure voluerunt, qui ut pisces isti *παρὰ καιρόν* vel *παρὰ τὸ δέον* saltabant, ita non opportunum aliquid agant. Itaque fieri non potest, ut Maehlyo assentiar, qui l. l. pag. 321 sic fere: 'In F. 9 haben wir einen Fall, wo das poëtische und das prosaische Epimythium einen völlig verschiedenen Gedanken aussprechen: das poëtische entspricht offenbar (?!) dem Sinn der Fabel und erweckt schon dadurch ein gewisses Vertrauen.'

fab. 12.
Hirundo longinquius evolans lusciniam invenit lugentem in silvis. Gaudet hirundo inventa sorore et persuadere ei studet, ut relictis silvis inter homines habitet. Respondet luscinia recrudescere calamitatis suae memoriam ad hominum conspectum; quare solitudine se solari.

Fabulae, quae non solum cod. A sed etiam V. a Pio Knoellio anno 1878 reperto nobis tradita est, additum legitur in cod. A, non V.[155]) epimythium complectens hos versus quattuor:

12, 25 *παραμυθία τίς ἐστι τῆς κακῆς μοίρης*
λόγος σοφὸς καὶ μοῦσα καὶ φυγὴ πλήθους·
λύπη δὲ πᾶσ', ὅταν τις εὐσθενῶν ὀφθῇ
τούτοις ταπεινὸς αὖθις ὢν συνοικήσῃ.

Epimythium ita nobis traditum ad Babrium non posse referri primo obtutu intelleges. Versus enim 27 non solum a lege illa abhorret, de qua iam supra diximus cavere Babrium, ne ultimae versus syllabae accentum imponeret, sed etiam quomodo cum versu, qui sequitur, cohaereat, explicari nequit. Constructionem enim *λύπη* (sc. *ἐστίν*), *ὅταν τις ὀφθῇ τούτοις . . . συνοικήσῃ* tolerari non posse commemorare vix opus est. Versum igitur alii aliter sanare conati sunt, in quibus Hauptius vel Duebnerus coniectura mihi quidem maxime probabili videntur usi esse (Hauptius *λύπη δ' ὅταν τις οἷς ποτ' εὐθενῶν ὤφθη, τούτοις . . . συνοικήσῃ.* Duebnerus[156]): *λύπη δ' ὅταν τις οἷσιν εὐ-*

[155]) desunt versus fab. 12, 25—28 epimythii loco positi etiam in Aldina MDV (cf. Crus. proleg. pag. X) et apud Knochium (pag. 52).

[156]) cf. animadv. crit. pag. 34; ceterum Maehlyus constructione *λύπη* (sc. *ἐστίν*) *ὅταν* offensus *λυπεῖ* scribi voluit. Quae quidem emendatio non necessaria videtur: cod. A enim scriptura respondet illi *παραμυθία ἐστίν, ὅταν . . .*, quod in v. 25 antecedit.

θενῶν[157]) *ὤφθη, τούτοις . . . συνοικήσῃ*). Iam altera emendatione in contextum recepta difficultas, quae versui 27 inest, tollitur et epimythium fit, quod Babrii et arti metricae et sermoni respondeat. Neque tamen hoc esse genuinum pro certo fere affirmaverim. Copiosius enim mihi videtur, quam quod fabula postuletur. Ad quamnam, quaeso, fabulae partem sententia illa spectat *λόγος σοφὸς καὶ μοῦσα παραμυθία τίς ἐστι τῆς κακῆς μοίρης*? Nihil omnino in fabula invenitur, ex quo solatio miseris esse sermonem sapientiae plenum et musam intellegas[158]). Docet potius nihil aliud fabula, nisi quod quo loco calamitatem acceperis, eum soleas fugere. Recte autem de hac re me iudicasse cum ex ipsius fabulae versibus 23 et 24 apparet tum ex promythio, quod fabulae illi praemittitur in paraphrasi Bodleiana: *τὸν λυπηθέντα ἔκ τινος τύχης καὶ τὸν τόπον φεύγειν ἐθέλειν, ἔνθα ἡ λύπη συνέβη.*[159])

157) *εὐθενῶν* pro *εὐσθενῶν*, quod cod. A exhibet, coniectura est Lachmanni, quae mihi probatur: respondet enim multo melius *εὐθενῶν* voci *ταπεινός*, quae sequitur, quam illud *εὐσθενῶν*.

158) miro sane modo Kellerum inveni illud epimythium interpretantem: 'Überhaupt kann Babrius nicht als ein Freund des niederen Volkes angesehen werden: wenigstens zeitweise hasste er das Getreibe der grossen Welt. Fernab von der Menge suchte und fand er in literarischer Beschäftigung einen Trost für die Wunden, die ihm ein feindliches Geschick geschlagen hatte. Daher singt er F. 12, 25: *παραμυθία τις* . . .' Haec, quae exposuit Kellerus (cf. Jahrb. f. klassische Philol. Suppl. IV, p. 391), non minus futtilia sunt quam alia multa, quae leguntur in illa commentatione ('Untersuchungen über die Geschichte der griechischen Fabel'), ab Eberhardio [obs. Babr. p. 4 sqq.] et Crusio [de Babr. aet. p. 145 sq., 207, aliis locis] saepius non sine iniuria castigata. — Ceterum iam Crusius in sensu huius epimythii ipsi fabulae parum accomodato haesit: cf. Real. Encyclop. a Pauly-Wissowa edit. vol. II, col. 2661.

159) simile pedestre epimythium in cod. A legitur: *ὅτι*

fab. 22.
Homo provecta aetate virili mixtos habebat capillos canos et nigros idemque amicas duas, vetulam et iuvenem. Quarum utraque ut sibi similem redderet amatorem, crines vellebant vetula nigros, iuvenis canos, usquedum tali opera efficerent calvum.
Fabulae epimythium:

22,14 *φάσκει δ' ὁ μῦθος τοῦτο πᾶσιν ἀνθρώποις·*
ἐλεεινὸς ὅστις εἰς γυναῖκας ἐμπίπτει,
ἀεὶ γὰρ ἕν γε δακνόμενος γυμνοῦται.

excepto Boissonadio, quem Orellius Baiterusque et Weisius sequebantur, omnes, quos quidem noverim, editores spurium existimaverunt. Atque ultimum epimythii versum:

ἀεὶ γὰρ ἕν γε δακνόμενος γυμνοῦται

hoc epimythii loco plane ineptum esse primo fere oculorum obtutu intellegitur, recteque iam Baitero 'totus hic versus e versu tertio decimo confictus' videbatur (adnot. crit. pag. 22.). Num vero versus 13 ad ipsum Babrium referendus sit, valde dubium est, et recte videntur mihi editores non epimythium modo sed etiam versum illum 13 Babrio abiudicavisse. Praeterquam enim quod superfluum additamentum est malaque repetitio post versus 10—12, quibus fabula aptissimo modo finiatur (id quod etiam ex paraphrasibus cognoscitur, quibus omnibus non Bodleianae modo, sed etiam ceteris illius versus ne unum quidem vestigium inest), alia suspicionem movent, in quibus non tam *τιλλόμενος* verbum premam, quod Lachmanno, Eberhardio, Crusio cum Babrii artis metricae

συμφέρει τῷ ἠδικημένῳ πόρρω γενέσθαι τῶν εἰς ἀνάμνησιν αὐτὸν φερόντων κακῶν, ubi *τῶν* neutrum est pluralis intellegendum ('procul esse ab omnibus, quae memoriam refricant malorum').

legibus non convenire videbatur[160]) quam ἐγυμνοῦτο brevi syllaba in versus fine posita, quae in tali versu, qualis hic est, augeat suspicionem. Quae cum ita sint, suo iure versum 13 proscripsisse mihi videntur.[161]) Atqui hic versus si suspectus est, multo magis suspiciosus videtur versus 16. Ut enim versus 13 in fabula quodammodo tolerari possit, in epimythio quid sibi velit, equidem nescio. Deinde — δακνόμενος verbum ut miro quodam modo h. l. usurpatum omittamus — versus 16 metrum iam interpolatoris fraudem coarguit. Quinarium enim habes versum, non senarium: quam difficultatem metricam ut delerent Boissonadius ἐκγυμνοῦται vel ἐγυμνώθη (aoristo ad significandam consuetudinem adhibito) scribi voluit,[162]) Lachmannus ἀναλοῦται. Nec tamen vitium illud tollere conemur: librarii enim non est sed eius, qui v. 13 imitatus hunc versum composuit. Quae cum ita sint,

[160]) cf. Lachmanni praef. pag. XIV, Eberh. praef. pag. V, Crus.' de Babrii aetate' pag 116 sq. et proleg. pag. XXXVIII sq.

[161]) unus Bergkius fabulae versum 13 Babrio dedit, quamquam et ipse fabulae epimythium valde suspectum esse concessit.

[162]) idem Boissonadius alteram coniecturam versibus 13 et 16 intulit. Mutabat enim cod. A scripturam ἕν γε in εἴγε (Suida allato, qui 'εἴγε καλῶς . . . λέγεται δὲ καὶ ἐπ' εὐφορίας πολλάκις.') Lewisio quoque probatum. Sed contra Boissonadium Piccolosius (Rev. de philol. tom. I. pag. 256): 'C'est à tort', inquit, 'qu'on a changé ἕν γε en εἴγε. Ἀεὶ ἕν γε se retrouve dans une expression tout à fait semblable en grec moderne ὅλον ἕν — ὁλονὲν = ὁλονένα. [Du reste la fable finit parfaitement au vers 12: les vers, qui suivent, ne sont pas dignes de Babrius].' Aliter ac Piccolosium Duebnerum ἕν γε interpretatum esse inde cognosci potest, quod versus 13 et 16 sic fere latine reddidit: 'semper enim (i. e. quaque consuetudine) dum unum certe genus (crinium) evellitur, denudatur' (v. 13) et 'quaque consuetudine dum una certe re spoliatur, denudatur' (v. 16): cf. l. l. pag. 35. Mira sane interpretatio! (ἓν modo 'genus crinium' modo 'res'? δάκνεσθαι spoliari?)

versum 16 cum et ex suspecto v. 13 confictus videatur et ipse sententia, sermone, metro Babrio minime dignus, retineri non posse nemo, credo, negabit. Iam vero quaeritur, num forte deletis versibus 13 et 16 versus, qui relinquuntur 14 et 15, epimythii loco a Babrio scriptos esse opinari liceat.[163]) Examinantibus igitur versus 14 et 15 et metro et sermone vix quidquam praebere eos concedendum est, quo proscribere commoveamur. Sensum vero huius epimythii si respexerimus, fieri non poterit, ut satis mirum esse concedamus, meliusque cadere in fabulam epimythium illud, quod paraphrases partem maximam praebent *'οὕτω πανταχοῦ τὸ ἀνώμαλον ἐπιβλαβές ἐστιν'*[164]) et Diodorus Siculus XXXIII, 7 pag. 72 Dd. e fabula peti voluit (*καὶ γὰρ τῶν τὴν Τύκκην οἰκούντων οὐδέποτε μενόντων ἐπὶ τῆς αὐτῆς αἱρέσεως, ἀλλ' ὁτὲ μὲν πρὸς Ῥωμαίους ὁτὲ δὲ πρὸς αὐτὸν ἀφισταμένων καὶ πολλάκις τοῦτο πραττόντων αἶνόν τινα διελθὼν οὐκ ἀσόφως ἔσκωψε ἅμα καὶ τ. λ.*) negemus. Neque tamen Hochio plane assentior, qui ut semper fere in epimythiis diiudicandis nimis severus est: 'audi deinde', inquit, 'quod epimythiorum auctor pronunciavit ad fab. 22: „Flebilis, quicunque in feminas incidit.“ Jocone an serio id dictum est? Miror, quod ii, qui de Babrii vita exposuerunt, poëtam fuisse mulierum osorem inde non collegerunt' (cf. l. l. pag. 24.)' Talem vero ironiam satis ineptam esse ex promythio cognoscitur, quod Phaedrus illi fabulae praemisit (II, 2):

a feminis utcunque spoliari viros
ament, amentur nempe exemplo discimus.

Hochius si hos Phaedri versus respexisset, haud scio,

[163]) id quod Lewisium fecisse video, qui tamen versus 14 et 15 suspectos censuit.

[164]) simile epimythium in Aesopi fabulis a Neveleto editis pag. 224.

an illa de Babrio mulierum osore per ironiam dicta pronuntiavisset. Sed cogitantibus nobis extremam hanc fabulam a diasceuasta quodam vexatam esse, qua de re modo fusius disseruimus, dubium videtur, num epimythium Babrio tribuendum sit.

fab. 34.

Rustici taurum Cereri sacrificabant: in epulo puer extis se nimis impleverat, ut aegro ventre domum rediret. Domi matris ulnis incidebat et de vita desperabat. En, inquit, viscera mihi procidunt omnia. Cui mater: imo proice audacter, non tua sunt viscera sed bovis!

Hoc epimythium in cod. A. legitur:

34, 12. *ὅταν ὀρφανοῦ τις οὐσίαν ἀναλώσας*
ἔπειτα ταύτην ἐκτίνων ἀποιμώζῃ,
πρὸς τοῦτον ἄν τις καταχρέοιτο τῷ μύθῳ.

Legenti post illam fabulam hoc epimythium, quod ad eum solum relatum est, qui pupilli patrimonium consumpserit, valde mirum videatur necesse est insolitumque. Nam ut commode fabula dicatur de homine aliena[165]) bona conficiente — recte igitur paraphrasta universe fabulam rettulit ad hominem pecuniam alicui, non pupillo soli debentem (*πρὸς ἄνδρα χρεωφειλέτην*)[166]) — quid momentum insit fabulae, quo Babrius commotus spectare epimythium ad unius pupilli bonorum devoratorem voluerit, equidem non video. At vidit Menas, qui probante Boissonadio: 'Le poète', inquit, 'parait avoir souffert de la part de son mauvais tuteur. Autrement il ne devait pas restreindre l'idée de la fable dans cette seule cir-

[165]) sic in tetrast. iamb. 28 (Crus.) epimythio pedestri: *ἀλλότρια μὴ ἀηδῶς ἐκτιννύειν* et similiter apud Coraësium pag. 174.

[166]) cf. Halm. fab. 348; similiter Plutarchus fabula usus est in 'de vit. aer.' 8 pag. 831 C.

constance que son affabulation désigne' (v. edit. princip. pag. 75.). Sed haec, quae Menas de Babrio sua ipsius calamitate docto disseruit, plane incerta sunt. Quae priusquam argumentis nihil dubiis non confirmata erunt, Babrii revera hoc epimythium sit necne, licebit dubitare.[167]) Alias vero causas, quas Hochius et Crusius excogitaverunt et quibus commoti epimythium spurium censuerunt, probare non possum. Ac primus quidem Hochius in versus 14 pedis tertii arsi soluta haesit *καταχρέοιτο*. 'Arsis soluta', inquit, 'non potest constare ex duabus syllabis, quarum altera collocata est ante litt. mut. c. liqu.: talis enim syllaba in arsi semper producitur a Babrio'. Sed errasse Hochium exempla docent nihil suspecta velut fab. 106, v. 3 *ἀρίστην ὀριτρόφων*, v. 15 *λέων νεοδρόμῳ*, 95, v. 43 *χεῖρας ἐπεκρότησεν*, v. 32 *ἀκούεις ἔπρεπε*, 88, v. 2 *τῷ χαραδριῷ* alia. Crusius deinde vocabulum *τίνω* h. l. *ι* vocali littera correpta a Babrio alienum esse censuit collatis fabb. vss. 27, 3 et 107, 8, ubi *ι* vocalis producitur. Neque vero oblivisci debuit Crusius, quae ipse in proleg. pag. LIX sq. de vocibus disseruit a Babrio ita adhibitis, ut vocales ancipites modo corriperet modo produceret. Babrius, quem in vocabulis *ὕδωρ, ἴσος, θύειν, λύειν, ξύειν, φύειν* ancipiti prosodia usum professus est (pag. XXIII).[168]) cur non *τίνω* vocis quantitatem variare potuerit, non video.[169]) Futtilia igitur sunt, quibus Hochius et Crusius offendebantur, neque alia de causa mihi quidem epimythium videtur dubium, nisi quod sententiam eloquitur angustius expressam.

[167]) cf. etiam Maehly. l. l. pag. 321.

[168]) vide etiam Eberh. obs. pag. 9, Fix. pag. 64, Lewis. praef. pag. XIX.

[169]) ceterum de huius vocis (*τίνω*) apud poëtas fluctuante quantitate cf. Morellii lex. Graeco-prosod.

fab. 56.

Certamen Juppiter animalibus proposuerat de pulchritudine infantium. Venit etiam simia cum catulo. Ridentibus divis dixit: Juppiter novit victoriam, cuius sit: mihi vero hic est pulcherrimus omnium.

De epimythio, quod in cod. A sequitur:

56, 8. *ὁ λόγος δοκεῖ μοι πᾶσι τοῦτο σημαίνειν*
τὸν αὐτὸς αὑτοῦ πᾶς τις εὐπρεπῆ κρίνει.

difficile est dictu, utrum Babrii sit necne. Quamquam enim metro, sensu, sermone[170]) elegantissimum est, tamen vox quaedam interpolatorem prodere videtur. Babrius, quem *ὁ μῦθος τοῦτο μηνύει* (fab. 38), *λέγει δ' ὁ μῦθος* (fab. 18 et 31), *ὁ δέ γε μῦθος ἐμφαίνει* (fab. 36, sim. fab. 116) similia dixisse legimus, cur in hoc epimythio, de quo num apto modo e fabula petitum esset, omnino non poterat dubitari, ***δοκεῖ μοι σημαίνειν*** scripserit, vix potest intellegi, potius probabilem esse coniecturam concedamus necesse videtur eorum, qui verbum illud *δοκεῖ* esse epimythistae de sua ipsius re incerti opinati sunt (in quibus Hochium commemoro; cf. pag. 26). Nam quae leguntur in epimythiis fabb. 66 v. 7 *διὸ μοι* ***δοκοῦσιν*** ... et 23, 9 *ἐντεῦθεν ἡμᾶς τοῦτ'* ***ἔοικε*** *γινώσκειν* vel in Phaedri fab. I, 14 epimythio 'hoc pertinere vere ad illos dixerim' vereor, ne hoc *δοκεῖ* non tueantur. *ἔοικε* enim non 'videtur' esse, sed 'consentaneum, par est' supra docui (pag. 39), atque *δοκοῦσι* in fab. 66 epimythio, utpote quod longe aliud sit quam hoc ipsum *δοκεῖ*, nihil offensionis habere fabula illa 66

170) recte iam Boissonadius cod. A scripturam *τὸν αὐτὸς αὐτοῦ* mutavit in *τὸν αὐτὸς αὑτοῦ*. De qua elocutione eximie Graeca cf. quae Kruegerus monuit gramm. § 51, 2. 13. Similiter Sophocles in Oed. Col. 1356: *τὸν αὐτὸς αὑτοῦ πατέρα τόνδ' ἀπήλασας* – Eberhardius maluit *αὐτὸς τὸν αὑτοῦ*, Lachmannus *τά γ' αὐτὸς αὑτοῦ*.

lectitata concedes. Sed — ut unde egressi sumus, eo revertamur — illud *δοκεῖ* quoniam vix Babrii esse demonstravimus, una cum Lachmanno et aliis hoc epimythium in eorum numero posse haberi censeo, de quibus Babrii sint necne, liceat dubitare.

fab. 60.

Mus, qui in ollam iuris plenam ceciderat, dum adipe suffocatur: edi, inquit, bibi, lautitiis fruitus sum. Iam tempus est mori.

Epimythium sequitur hoc:

60, 5. *τότ' ἂν λίχνος γένοιο μῦς ἐν ἀνθρώποις,*
ἐὰν τὸ καταβλάπτον ἡδὺ μὴ παραιτήσῃ.

In versu secundo, qui metro caret, necesse est, ut cum Boissonadio pro cod. A scriptura *ἐὰν* scribamus *ἂν* vel *ἢν*. Quod si fecerimus, epimythium nullam praebet difficultatem metricam. Nam quod Hochius monuit (pag. 23) alienum esse a Babrii rationibus prosodiacis *λίχνος* vocabulum *ι* vocali ante *χν* correpta assentiri non possum. Conferas, quaeso, quae saepius iam de Atticae correptionis usu apud Babrium explicavi. Ceterum cui versus 5 propter illam correptionem displicuit, facile potuit offensionem quae videbatur tollere verborum *ἂν* et *λίχνος* ordine mutato:[171])

τότε λίχνος ἂν γένοιο μῦς ἐν ἀνθρώποις.

Quae coniectura haud scio an cod. A confirmetur, qui exhibet *τότε*; accedit, quod anapaestus in prima sede apud Babrium usitatissimus est, praesertim ubi versus ut h. l. a vocabulo bisyllabo vel praepositione *(ἐπί, μετά, παρά, ὑπό)* vel alia vocula *(ὅτι, διότι, πολὺ* sim.) incipit (cf. Ficum pag. 827 sqq.). Epimythium

[171]) saepe in Babrii fabulis recensendis critici hac medela (transpositione verborum) usi sunt, qua de re cf. Rutherford. introd. pag. XCII, Fic. diss. pag. 842 et 844, Ludwich. l. l. pag. 7.

igitur nihil habet offensionis metricae. Vocem deinde *παραιτεῖσθαι* significatione adhibita repudiandi a Babrii sermone non alienam esse vix opus est monere; talis enim notio a serioribus praecipue scriptoribus (velut Plutarcho) huic verbo est subiecta. Ad sententiam denique quod attinet, aptissimo modo posse referri hanc fabellam ad homines eos, qui quae noceant dulcia, non respuant, quis est, qui neget![172]) Attamen hos versus ab omnibus fere editoribus reiectos esse invenies etiam ab iis, qui indulgeant epimythiis. Et ut sententia versu 6 expressa fabulae optime accomodata est, ita quomodo in versu 5 sententia ad homines referatur, displicet. Certe enim non lepide dicta sunt illa '*μῦς γένοιο ἂν ἐν ἀνθρώποις, ἣν* . . .' (ubi exspectares saltem *λίχνος πως μῦς ἀκούοις ἂν* vel similia alia), potius elegantia carent vere Babriana, quam epimythia prae se ferunt genuina. Babrium igitur sententiam potuisse ducere ex ipsa fabula eam, qua homines carperet voluptatibus, quae nocerent, deditos (cf. v. 6) concedo; Babrii esse puerilem fere explicationem in v. 5 negaverim.[173])

fab. 72.

Pulchritudinis certamine avibus indicto cum aliis graculus venit, qui ex deciduis aliarum pennis varium ornatum sibi paravit Iovi adeo probatum, ut iam victoriam ei decreturus esset. Tum vero primum hirundo, deinde aliae multae aves suas ei pennas evellerunt: et cognitus est graculus.

Venustae fabulae in cod. A. hoc epimythium subiunctum est:

[172]) solius paraphrasis apud Coraës. pag. 160 epimythii sensus minus placet.

[173]) similiter Passeratius: 'l'idée renfermée dans cette fable aurait pu être exprimée avec plus d'élégance et de talent.'

72, 23. *ὦ παῖ, σεαυτὸν κόσμον οἰκεῖον κόσμει·*

τοῖς ἑτέρων γὰρ ἐμπρέπων τούτων στερηθήσῃ.

Versum alterum valde claudicantem alii aliter sanaverunt. Atque longe plurimi Boissonadium secuti sunt, qui correctionem manus recentissimae (Menae) recepit: de qua correctione Dindorfius sic fere:[174]) 'τοῖς ἑτέρων' ist schwarz durchstrichen und über ρων das Wort ξένοις sowie über τούτων und στερηθήσῃ ein β und α gesetzt'. Qua correctione probata omnes fere editores alterum huius epimythii versum scripserunt:

ξένοις γὰρ ἐμπρέπων στερηθήσῃ τούτων.

Sed hac scriptura manus recentissimae in contextum recepta fit, ut duo deinceps versus spondeum praebeant in quinto versus pede admissum (v. 23 *οἰκεῖον κόσμει*, v. 24 *στερηθήσῃ τούτων*), id quod nequaquam tolerari potest. Accedit, quod versus ita compositus caret caesura et semiquinaria et semiseptenaria, qualem nullum invenies alium apud Babrium, cuius choliambos post thesin aut tertiam aut quartam semper incidi omnes consentiunt (cf. Eberh. praef. p. V, Fici diss. p. 845, Crus. proleg. XLVI). Quare Hermannus scribi voluit versum 24:

κόσμοις ξένοις γὰρ ἐμπρέπων στερηθήσῃ.

Eberhardius proposuit:

ἀλλοτρίῳ γὰρ ἐμπρέπων στερηθήσῃ.

Gitlbauerus denique in editione scripsit:

κόσμοις γὰρ ἑτέρων ἐμπρέπων στερηθήσῃ.

Equidem medelam si versui 24 corrupto parari volumus, censeo nobis a scriptura primae manus proficiscendum. Itaque coniecturam existimo probabiliorem esse Nauckii, qui scribi voluit:

τοῖσιν ἑτέρων γὰρ ἐμπρέπων στερηθήσῃ.

[174]) cf. Philol. vol. XVII (1861) 'Über die Originalhandschrift des Babrius im britischen Museum.'

Facile potuit fieri, ut archetypi scripturam τοῖσιν mendo librarii in τοῖς mutaretur. Talia enim saepe acciderunt. Sed de omisso τούτων haud scio, an durius dicantur illa 'denn wenn du durch das, was andern gehört (τὰ ἑτέρων), glänzest (dich auszeichnest), wirst du [desselben] beraubt werden'. Spondeum in versus 23 quinto pede admissum non adeo premam, praesertim cum Hermanni coniectura οἰκόθεν si recepta erit, metrica quae videtur difficultas tollatur (similiter in fab. 66. versu 8 οἴκοι ἀλλήλων voci oppositum est). Ad sensum denique quod attinet, apto sane modo hoc epimythium ex hac fabula ducitur[175]) (allocutionem autem ὦ παῖ cum epimythiis fabb. 18 et 74 conferas). Quae cum ita sint, facere non possum, quin una cum ceteris fere omnibus editoribus (Lachmanno, Lewisio, Passeratio, Schneidewino, aliis) spurium esse hoc epimythium pro certo affirmem, sed Babrii sit necne, dubitari posse censeo.

fab. 82.

Dormientis leonis per iubam cucurrit mus: irascitur, exsilit leo, cavillanti vulpi: non metuo, inquit, murem, sed nolo mihi inambulet male otiosus.

Epimythii loco fabulae tres versus subiuncti sunt hi:

82, 10. ἀρχόμενον ἄρτι τὸ θρασὺ τῶν ὑβριζόντων,
κἂν μικρὸν ᾖ, κώλυε, μηδὲ συγχώρει
εὐκαταφρόνητον εἶναι σαυτὸν τοῖς φαύλοις.

Cuius epimythii viris doctis aliis aliud displicuit, ita ut ab omnibus fere videas reiectum. Atque primum quidem concedendum est versum 11 legibus artis metricae Babrianae repugnare; tres enim habet spondeos continuos εἶναι σαυτὸν τοῖς φαύλοις, quorum unus in quarto pede invenitur, quam versus sedem

175) melius certe videtur quam quod praebent paraphrases: August. pag. 54 et Coraës. pag. 117.

semper iambus purus solet obtinere. Sed recte iam Boissonadius spondeum certe a Babrio alienum sustulit. Transpositione enim verborum adhibita, qua medela saepe ad textum fabularum Babrianarum sanandum viros doctos necesse erat uti, scripsit *σαυτὸν εἶναι,* quae coniectura omnibus viris doctis probabatur. Eo minus placuit, quod Lewisius ut spondeum, qui relinquitur in pede quinto (*εἶναι τοῖς*), tolleret, coniciebat *ἔμμεναί σε τοῖς φαύλοις*. Quamquam enim Babrium, quae eius erat vetera et nova miscendi licentia, formas quasdam dispares iuxta adhibuisse certum est (ut recte monuit Crusius proleg. pag. XXX), tamen Lewisii coniectura haud ita probabilis videtur, quod in tot infinitivi exemplis ne semel quidem forma illa *ἔμμεναι* invenitur a Babrio usurpata. Sed praeter spondeum in quinto pede positum (*εἶναι τοῖς*), qui persimilis est spondeo illi fab. 99, 4 *μεθεῖναι τὴν* a Lachmanno, Lewisio, Schneidewino, aliis defenso, nihil invenitur in hoc epimythio ab arte metrica alienum. Neque enim Lachmanno facere possum ut assentiar, qui vocabulo hexasyllabo *εὐκαταφρόνητον* offendebatur in versu ineunte posito (conferas versus similes fab. 30, 6. 54, 2. 62, 1. 86, 5, ubi arsis et thesis dactyli in primo pede positi una voce continentur), neque Hochio, qui in versus 9 pede quarto vel tertio, in versus 11 pede primo haesit. Censebat autem necesse esse in versu quarto anapaestum legamus a Babrii arte alienum: *ἀρχόμενον ἄρτι τὸ θρασὺ τῶν*. Equidem sic versum scando: *ἀρχόμενον ἄρτι τὸ θρασὺ τῶν*. Tribrachyn igitur in tertia sede apud Babrium usitatissimum si legerimus, iambus purus evadet in quarto pede. At Hochius et hoc loco *ο* vocalem ante *θρ* et in versu 11 *α* ante *φρ* (*εὐκαταφρόνητον*) corripere nobis non licere censuit, qua in re errasse eum iam supra docui. Itaque cum neque

Lachmanni neque Hochii argumenta valere quidquam ad hos versus reiciendos demonstrasse mihi videar, epimythium propter unum spondeum in quinta versus sede positum (εἶναι τοῖς), quem semper a Babrio vitatum esse pro certo affirmari nequit, proscribere veritus in eorum numero habeo, de quibus Babrii sint necne, possit dubitari, praesertim cum haeream in sententia. Equidem haud scio, an aliud epimythium ex hac fabula duci et possit et debeat. Nam, quae leo vulpi cavillanti respondet (in vs. 6—8), simulata esse cum tota enarratione demonstratur tum verbo φρίσσειν (v. 3), quod semper indicium timoris est, et paraphrasibus, in quibus recte fabula inscripta est 'λέων μῦν φοβηθείς' et φρίξας illud bene exprimitur participio ταραχθείς (perterritus). Leo h. l. re vera murem pertimescit ut aliis in fabulis gallum timentem videmus (cf. Halm 323, 323[b], 261). Sed pudore commotus iratum se esse simulat, quod sua ipsius dignitas a mure sit violata. Itaque cum verba leonis (vs. 6—8), quibus persuadere studet vulpi non timuisse sese murem, sed iratum esse de dignitate sua a mure laesa, simulata sint, nescio an pro epimythio cod. A. et paraphrasium, quod ex verbis illis simulatis petitum est, desideretur epimythium hoc fere: 'fabula ad eos pertinet, qui, ubi fecerunt quid sibi ipsis indignum, irrisi ab aliquo, quod fecerunt, fecisse se simulant ad suam ipsorum dignitatem tuendam' vel simile aliud.

fab. 84.

Culex in tauri cornu sedens: Abeam, inquit, si praegravo cervicem tuam. Cui taurus: Nil curo, quem ne senserim quidem advenientem.

Fabulae in cod. A. hoc epimythium subiunctum est:

84, 7. γελοῖος ὅστις οὐδὲν ὢν κατ' ἀνθρώπων
τῶν κρειττόνων θρασύνεται ὥς τις ὢν σφόδρα.

θρασύνεται, quod metro non convenit, recte iam

Boissonadius emendavit diphthongo *αι* elisa *θρασύνεθ'*; tales enim elisiones Babrio usitatas esse intellegitur ex fab. 80, 2 *ὀρχεῖσθ' ὑπό*, 84, 4 *καθεδοῦμ' ἀπελθών*. Deinde animadvertendum est *σφόδρα*, quod in fine versus 8 legitur, scripturam esse manus recentioris. In qua haesit Boissonadius, qui 'non potui', inquit, 'concoquere tam debilem trochaeum ultimae sedis, in qua metri cardo vertitur'. Substituit igitur *λίην*, cuius esset glossa *σφόδρα*. Sed ex mea quidem sententia Boissonadius is, qui ceteros omnes trochaeos ut 23, 4 *ἄρνα*, 31, 13 *ἀχρεῖα*, 107. 3 *θῆρα* similes non toleravit solum, sed etiam ipse alios ex animi coniectura textui inseruit, ut 71, 11, quem versum scripsit *ὅτι πολλὰ πράγμαθ' αἱ κακαὶ φύσεις χρηστά*, non debuit scripturam manus recentioris mutare, ut trochaeum effugeret, qualem vocabula maxime in *α* (et in *ον*) exeuntia, si in extremo versu posita sunt, admissum esse a Babrio omnes concedunt (cf. Eberh. obs. p. 3, praef. p. IV., Crus. prol. p. XLII). Itaque editores invenies Boissonadii coniecturam probantes fere nullos, sed alii aliter versum suppleverunt, quorum neque Gitlbaueri coniectura placet . . . *ὥς τις ἀνθρώπων* (duo igitur deinceps versus idem habent vocabulum in fine) neque Crusii . . . *θρασύνεθ' ὥς τις ὢν κρείττων*. Equidem h. l. nolo operam dare coniecturis; nam dubium mihi videtur, num ipsius Babrii sit hoc epimythium fab. 84. Ps. Dositheus enim, quem ineunte saeculo III. post Chr. n. floruisse viri docti inter se consentiunt,[176]) quamquam hanc fabulam 84 interpretamentorum libro

[176]) cf. Christ, Gesch. d. griech. Lit. (1898) pag. 774, Krumbacher, Byz. Lit. pag. 791, Pauly-Wissowa, Real. Encycl. Genealogiam Hygini interpretamentis adiectam sese scripsisse 'Maximo et Apro consulibus' i. e. anno post Chr. n. 207 ipse testatus est.

tertio inseruit eandem plane et metro et verbis, quam exhibet cod. A. epimythii ne unum quidem verbum expressit.[177]) Ex quo efficitur, ut Ps. Dosithei temporibus fabulae Babrianae epimythium, quod legitur in cod A. nondum additum fuerit: nihil enim erat, cur Ps. Dositheus, qui fabulis, quae prosa oratione scriptae eidem libro tertio interpretamentorum insertae sunt, fere omnibus affabulationes subiungebat,[178]) epimythium huius ipsius fabulae de culice et tauro omitteret. Epimythium igitur fab. 84 cum Pseudodosithei, aequalis fere Babrii, aetate nondum exstitisse videatur, verisimillimum est non Babrio tribuendum esse, sed interpolatori cuidam, qui post Ps. Dositheum epimythia Babriana imitatus hos versus conscripsit.

fab. 96.

Lupus cum ab agno in macerio stante convicia audiret: 'non tu', inquit, 'sed locus me conviciatur. Noli te iactare'.

Epimythii cod. A.:

96. 5. *ὁ μῦθος ὀρθῶς πᾶσι τοῦτο μηνύει·*
μηδεὶς διὰ καιρὸν ἰσχύων τι γαυρούσθω.

alii priore alii altero versu offenderunt. Atque primum quidem fuerunt, qui *ὀρθῶς* vocabulo, utpote quod plane superfluum esset et merum metri supplementum videretur, fraudem interpolatoris coargui existimarent, in quibus Maehlyum conferas pag. 322. Alii deinde alterius versus metrum a Babrii arte alienum esse censuerunt (Duebnero praeeunte Lach-

[177]) cf. 'Dosithei magistri interpretamentorum lib. III ed. E. Böcking 1832' pag. 36.

[178]) cf. Boeckingii editionem, cuius in pagg. inde a 25 usque ad 38 fabulae Aesopeae XIV prosa oratione a Ps. Dositheo expressae leguntur; ex his duae carent epimythio.

mannus, Lewisius, Schneidewinus alii). Anapaestus enim invenitur in secundo versus pede *διὰ καιρόν*, quem ut tolleret, Boissonadius transpositione verborum adhibita scripsit: *διὰ καιρὸν ἰσχύων τι μηδεὶς γαυρούσθω.* Sed vereor, ne hic versus a Boissonadio compositus criticis eis, qui anapaesto in altera versus sede posito offenderunt, non magis placeat quam quem exhibet cod. A. Boissonadius enim, qui in secundo versus pede anapaestum effugit, spondeum intulit pedi quinto editoribus longe plurimis non minus suspectum. Denique fuerunt, qui in vocis *ἰσχύων* h. l. correpta vocali *υ* offenderent, quia apud Babrium semper producta inveniretur media huius vocis syllaba (cf. Eberhardi obs. pag. 10, Hochii diss. pag. 23). Atque ut ab hac quae videtur offensione prosodiaca incipiam, *ἰσχύω* vocabulum ex iis esse animadvertendum est, in quibus Babrius ancipiti prosodia usus est. Qua de re conferas, quae supra pag. 96 explicavimus, e quibus in hac correptione apud Babrium haerendum non esse apparet.[179] Anapaesto deinde leni coniectura omnino non tollendo (*διὰ καιρόν* in altero versus pede) ansam nobis dari ad reiciendum epimythium non puto, quoniam Babrius interdum anapaestum in sedibus paribus videtur admisisse (vide supra pag. 76). Restat *ὀρθῶς* illud, quod merum metri supplementum esse quibusdam videbatur. Quod quamquam similibus in epimythiorum versibus non invenitur (cf. 38, 8; 36, 13; 31, 23; 18, 15), tamen haud scio, an omnino non h. l. tolerandum sit. Boissonadius recte vertit 'id merito cunctis fabula significat', quibuscum conferas, quae Phaedrus in epim. fab. III, 6 dixit:

'hac derideri fabula merito potest'.

[179]) cf. etiam quae Rutherfordius de mensura verborum in -*ύω* terminantium exposuit pag. 26 (ad fab. 19, 6.) et Ludwichius contra Eberhardium monuit l. l. pag. 7 (ad fab. 42, 9).

Sed suspectum esse hoc epimythium concedo et in numero habere maluerim eorum, de quorum auctoritate possit dubitari.

fab. 107.

Murem ceperat leo et voraturus erat; sed ille non dignam leone hanc escam ut dimitteretur petebat. Gratiam se esse tanti beneficii relaturum. Leo ridens dimisit. Paulo post leo rete implicatus est, quod mus rodebat et vicissim benefactorem vita donabat.

Fabulae hoc epimythium in cod. A. additur:

107, 17. *σαφὴς ὁ μῦθος ἐννοοῦσιν ἀνθρώποις*
σῴζειν πένητας μηδὲ τῶν ἀπελπίζειν.
εἰ καὶ λέοντα μῦς ἔσωσ᾽ ἀγρευθέντα.

Qui fabulae illi subiunctam legerit hanc affabulationem, sensu offendatur necesse erit; equidem in voce *πένης* haereo h. l. omnino inepta. Opponuntur enim hac in fabula non *πένητες πλουσίοις* sed, ut in aliis fabulae epimythiis recte dicitur, *ἀσθενεῖς δυνατοῖς* vel *ἥττονες μείζοσι* (cf. epim. fab. 256 H. *ὁ μῦθος δηλοῖ, ὅτι ἐν καιρῷ μεταβολῆς καὶ οἱ σφόδρα δυνατοὶ τῶν ἀσθενεστέρων ἐνδεεῖς γίγνονται.* Julian. epist. 8: *πάντως που καὶ παρὰ τῶν ἡττόνων εἶναί τι χρηστὸν ὁ μῦς τὸν λέοντα τῷ μισθῷ σώσας ἀρκούντως δείκνυσι.* Ps. Dositheus pag. 27: *ἐξ ἀνελπίστου βοήθεια ἀπὸ ἡττόνων γίγνεται μείζοσιν*). Haec cod. A. sententia, quam qui scripsit monuit, ut pauperes adiuvarentur et curarentur, tam aliena videtur a veteribus, vix ut dubitari possit, quin christiani cuiusdam interpolatoris sit, id quod Fixius primum et Lewisius monuerunt.[180]) Quamquam enim magnopere nobis cavendum esse puto, ne in vestigiis christianis indagandis modum excedamus,

[180]) Fixius l. l. pag. 80: La morale provient évidemment d'un chrétien; Lewisius edit. pag. 116: epimythium cum Fixio spurium esse censeo et fortasse a Christiano adiectum.

quod in vitium Rutherfordius incidit, 'qui in Babrii fabulis hic illic Christiani interpolatoris fraudem subodorari sibi visus est,'[181]) tamen sententiis praecipue moralibus, quales epimythia vel promythia fabularum praebent, christiana nonnumquam vestigia latere negari nequit. Testes sunt paraphrases, quarum affabulationes haud ita paucae ad homines christianos referendae sunt (cf. Cor. pag. 160, Bodl. pag. 63 (141) cum Iob 1, 21: *αὐτὸς γυμνὸς ἐξῆλθον . . . γυμνὸς καὶ ἀπελεύσομαι ἐκεῖ*). Quae cum ita sint, epimythium fab. 107 valde dubito, num Babrii sit, atque miror, quod a Lachmanno retentum.[182])

fab. 116.

Canebat nocte media iuvenis quidam voce canora. Quem ubi audivit mulier, e lectulo exsiluit et conspecto iuvene formosissimo virum reliquit somno vinctum et libidinem explevit. At maritus repente surrexit nec uxorem intus videns ore muto et ipse eandem carpsit viam. Atque coniugi: 'Ne conturberis', inquit, 'sed puero persuadeas domum ut ingrediatur nostram dormiturus'. Quem et prehensum manu deduxit. Hac dein re ille etiam usus est amores sectatus.

---

[181]) suo iure hanc Rutherfordi rationem castigavit Crusius proleg. pag. LXIX sq.

[182]) ceterum animadvertendum est in versu 17 viros doctos coniecturis locum dedisse. Quo in versu cod. A exhibet *μηδὲ τῶν ἀπελπίζειν*; offendebant autem viri docti in voce *τῶν*, pro qua scribi volebant Fixius *μηδέ πως* (quam coniecturam probari video Schneidewino), Sauppius *μηδὲ σῶν*, Baiterus *μηδενῶν δ'ἀπ* . . . Lachmannus *μηδ' ἑτῶν (!)*, Maehlyus *μηδ' ἴσων*, Bergkius *μηδέ των (= τινων)*, Seidlerus *μηδὲ δεῖν*, Eberhardius *μηδὲ τῶνδ' ἀπελπ.*, Gitlbauerus *μηδαμῶς*. Equidem cod. A. scripturam *τῶν* retinendam censeo; fieri enim potuit, ut interpolator *τῶν* diceret pro *τῶνδε, τούτων* articulo vi demonstrativa usurpato. Deinde de *ἀπελπίζειν* verbo, quod Hochio et Crusio displicebat, conferas, quae supra pag. 60 exposui.

Fabulae, quam praeeunte Fixio alii viri docti a Babrio abiudicaverunt,[183]) in codd. A et V. hoc epimythium subiunctum est:

116, 15. *τουτὶ μὲν οὕτως· ἔμφασις δὲ τοῦ μύθου,*
κακὸν ἐπιχαίρειν, ὅταν ἔχῃ τις ἐκτῖσαι.

Ut ipsius fabulae ultimorum versuum interpretatio ambigua est,[184]) ita epimythium quoque interpretandi difficultatem praebet haud ita parvam. Atque primum quidem Boissonadius interpretatus est sic; 'res ita peracta fuit. Fabulae autem haec est significatio hominem laetari, qui malum queat malo rependere'. Coniungebat enim voces *κακὸν* et *ἐκτῖσαι:* 'intellego', inquit, '*κακὸν ἐκτῖσαι* in sensum malum pro malo reddendi, quod non est sine exemplo dictum'. Sed errasse Boissonadium mihi est persuasum. Praeterquam enim quod singularis esset structura verborum *κακὸν ἐπιχαίρειν, ὅταν . . . ἐκτῖσαι,* si verba *κακὸν*

[183]) cf. quae hac de re bene disseruit Crusius 'de Babr. aetate' pag. 216, adn. 5.

[184]) necesse videtur breviter de ipsius fabulae ultimis versibus disserere; quibus inest difficultas quaedam interpretandi, quae non effugit Boissonadium, quare editoribus plurimis in fine fabulae inde a v. 13 non omnia sana videbantur. In cod. A finis fabulae sic legitur:

εἶτα κἀκεῖνος
ἄμφω θελόντων δρᾶν τι τῇδ' ἐρᾳθύμει.

Boissonadius 'esse mihi videtur', inquit, '*κἀκεῖνος* de marito intellegendum, qui ut ipse ab uxore veniam nefandae libidinis acciperet, illi se facilem adulterii lentumque testem praebuerit. Cepi *ἄμφω θελόντων* de uxore et amasio temporali. Est *δρᾶν τι* verecunde dictum (Eumath. Hysm. 4 pag. 141 *καί τι δρᾶν ἐπεχείρουν ἐρωτικώτερον)*' et vertit: 'dein ille etiam cum ambo vellent facere aliquid, in uxorcula lentus patiensque fuit.' Hertzbergius deinde coniecit *εἶτα κἀκείνῃ . . . τῷδ' ἐρᾳθύμει* et vertit:

Und so musste 13.
Auch jene, wenn die zwei was hatten, still schweigen. 14.

ἐκτῖσαι coniungi voluisset Babrius, sensus epimythii minime cadit in ipsam fabulam, in qua nihil tale legitur, quod Boissonadii interpretatione confirmatur. Quid enim, quaeso, fabulae docet maritum uxori malam gratiam rettulisse? Aliis deinde editoribus scriptura cod. A *ἐπιχαίρειν* depravata esse videbatur, pro qua scribi volebat Lachmannus *ἐστι δαίρειν* (id quod Schneidewinus probavit), Bergkius *ἐπιχαίνειν*, quam coniecturam a Crusio in textum receptam invenies. Sed quomodo coniecturae illae intellegendae sint, equidem non video, neque interpretati sunt aut qui excogitaverunt aut qui probaverunt. Ceteri omnes editores aut scripturam cod. A *κακὸν ἐπιχαίρειν* receperunt aut Hartungium secuti scripserunt *κακόν ἐστι χαίρειν*. Ex mea quidem sententia huius fabulae 116 sensu epimythium postulatur, quo malum esse hominem exprimitur eum, qui si quis peccaverit, remittat meritam poenam laetatus, quod ipse si peccaverit, illud peccatum licebit monere ad sui ipsius peccati veniam impetrandam. Similem Hertzbergius voluit esse sensum epimythii huic fabulae accomodatum. Qui pag. 211 sic fere: „Der Sinn der beiden

ἄμφω igitur maritum et iuvenem intellegendos censuit paederastiam respiciens. Quae coniectura si recte se haberet — haud scio, an probetur simili narratione apud Apuleium IX, 26: 'ipse cum puero cubans gratissima corruptarum nuptiarum vindicta perfruebatur' —, equidem mallem *εἶτα κἀκείνῳ . . . ἧδ' ἐραθύμει* (quam scripturam praebet cod. V). Lachmannus mutavit *εἶτα κἀκεῖνος . . . χἠδ' ἐραθύμει* 'tum et ille et haec conquiescebant (segnes erant), si ambo volebant facere aliquid'. Mira est Gitlbaueri interpretatio, qui voluit:

εἶτα κἀκεῖνος
ἄμφω θελόντων δρᾶν τι· 'τῇδε ῥαθύμει'

Crusius deniqne *τῇδ'* 'hac ratione' interpretatus est et *ῥαθυμεῖν* Suida collato *τοῖς ἀφροδισίοις σχολάζειν*.

Schlussverse ist: Es ist schlecht, wenn jemand sich über eine Sache freut, für die er einen andern bestrafen sollte, weil er dadurch die Nachsicht des andern für seine eigene Schlechtigkeit erkauft.“ Haec fere epimythio fabulae accomodato necesse esse exprimantur, ipse modo monui. Sed item monendum est Babrium sententiam illam si fabulae voluisset adiungere, perspicue magis et dilucide fuisse elocuturum, non obscurum compositurum fuisse versum talem, qualis est epimythii 116 versus alter; quem valde dubito num depravatum esse liceat conicere, neque video, quomodo possimus sanare.

fab. 140 (ed. Crus.) = 126 (ed. Eberh.).

Cicada hieme formicam, quae ingentem tritici acervum tempore messis collectum suis in latibulis reposuerat, obsecrabat, ut sibi fame vexatae escam praeberet, ne periret. Interrogata iam a formica, quidnam fecisset per totam aestatem, cum respondisset non desiisse se cantare, risit illa et frumento incluso: hieme, inquit, salta, si per aestatem cantasti.

Pulcherrima haec fabella solius Ps. Dosithei libris nobis tradita est. Invenitur autem ut fabula cod. A 84 interpretamentorum libro tertio inserta.[185]) Epimythio caret fabula Ps. Dositheana. Editiones vero si percurreris Lachmanni (nr. 135), Lewisii (nr. 129), Bergkii (126), Schneidewini (137), Eberhardi (nr. 126), Gitlbaueri (136), Crusii (140), epimythium illi fabulae additum invenies hoc:

9. *κρεῖττον τὸ φροντίζειν ἀναγκαίων χρειῶν*
ἢ τὸ προσέχειν ⟨νοῦν⟩ τέρψεσίν ⟨τε⟩ καὶ κώμοις.

[185]) cf. Valckenaër. Miscellan. observat. vol. X, tom. I (1739) pag. 122, Dosithei Mag. interpretam. ed. Ed. Boecking pag. 37 et Boucherie, Notices et extraits . . . vol. XXIII (1872) pag. 522. Ps. Dositheus fabula illa choliambis integris Graece expressa ad verbum convertit in Latinum.

Sumpserunt editores hos versus, quos epimythium esse fabulae de formica et cicada primus Knochius monuit (Babrii fabulae et fabularum fragmenta, Halis Sax. (1835) pag. 98) ex gnomologio Georgidae monachi, in quo versus illi conferuntur Babrio nominato (cf. Boissonad. Anecdot. Graec. I, pag. 48). Neque tamen censeo auctoritate Georgidam monachum Ps. Dositheo praeferendum. Nihil enim erat, cur Ps. Dositheus epimythium illud si ipsius temporibus esset, omitteret,[186]) qua de re conferas, quae iam supra ad epim. fab. 84 diximus. Verisimile igitur est hoc epimythium post Ps. Dositheum et ante Georgidam (i. e. post saec. III et ante saec. IX) compositum esse. Georgidae vero in his rebus non adeo fidem habendam esse vel inde apparet, quod ut erat parum acuto ingenio epimythia non solum versibus inclusa (fab. 18. 79 cf. Boiss. Anecd. I pag. 9 et 17.), sed etiam pedestria, quae leguntur in codd. A et V, Babrio tribuit (fab. 11. 124 [Cr.] 99, 122 cf. Boisson. Anecd. I pag. 43. 31. 58. 67.).[187]) Accedit, quod versus legibus Babrii artis metricae non respondent. Atque quamquam breviorem versum 10 Boissonadii coniectura facile suppleri concedo (*ἢ τὸ προσέχειν ν ο ῦ ν τέρψεσίν τε καὶ κώμοις* vel *ἢ τὸ π ρ ο σ ί σ χ ε ι ν τέρψεσίν τε καὶ κ.*, quae quia *ἴσχω* forma nunquam usus est Babrius, minus placet), tamen vehementissime in v. 9 haerendum est. In quo non tam offendor *χρειῶν* perispomeno in extremo versu posito, quod facile emendatur transpositione verborum adhibita et pro *χρειῶν* forma *χρεῶν* usurpata (*χρεῶν ἀναγκαίων*), id quod

[186]) cf. Duebneri animadv. crit. pag. 68 et Schneidewinum 'Gött. gel. Anz.' 1845 pag. 26.

[187]) alia quoque epimythia pedestria Babrio tribuit; cf. Anecd. pag. 9. 17. 21. 31. 48. 67. 90 cum fabb. edit. Crus. 142 153. 175. 182. 140. 195. 197.

Bergkium scripsisse video, qua eadem coniectura spondeus in quinta sede admissus (*ἀναγκαίων χρειῶν*) tollitur, quam omissa caesura et semiquinaria et semiseptenaria, qualem versum apud Babrium invenies nullum. Quae cum ita sint, vix dubitari potest, quin hoc epimythium spurium sit.[188])

C. Tertia dissertationis pars, in qua de epimythiis disseritur, quae spuria esse pro certo possit affirmari.

fab. 10.

Turpem quidam ac sordidam ancillam ardebat suam et poscenti praebebat cuncta paratissime. Venus autem, quam illa utpote felicitatis auctorem omni modo colebat, aliquando dormienti visa: 'ne mihi gratiam referas', inquit, 'quasi te pulchram fecerim; isti succenseo, cui pulchra videris.'

In cod. A. fabulae hoc epimythium additur:

10, 13. *ἅπας ὁ τοῖς αἰσχροῖς ὡς καλοῖς χαίρων*
θεοβλαβής τίς ἐστι καὶ φρένας πηρός.

Qui versus Duebnero 'Babrium non satis referre' videbantur (cf. l. l. pag. 32); qua vero de causa, nihil eum disputantem invenies. Lachmannus, Lewisius, Bergkius retinebant, recentiores editores uncinis epimythium seclusisse video. Et suo iure reiecerunt. Spurium esse non tam ex *αἰσχροῖς*, quod quamquam metro non convenit, tamen facile ut librarii errore pro *αἰσχροῖσιν* positum corrigitur,[189])

188) ad paraphrases quod attinet, una apud Furiam (nr. 195) Georgidae epimythium expressit; ceterae alia epimythia praebent: cf. Bodl. pag. 66 (nr. 146) et Florent. Fur. pag. 84 (nr. 198). Aviani promythium fabulae de formica et cicada (XXXIV) praemissum simile est sensu epimythio ab Aphthonio fabulae addito (pag. 321).

189) id quod Boissonadius recte coniecerat; commiscuisse enim Babrium dativos et in *οἷς αἷς* et in *-οῖσιν, -αῖσιν* exeuntes ex plurimis locis intellegi potest.

potest intellegi quam ex voce πηρός in extremo versu posita; abhorret enim a lege illa, quam Babrium sibi scripsisse in ultimo choliamborum pede Ahrensius primus recte monuit: summa diligentia Babrium id studuisse, ut paenultimam versus syllabam accentu feriret, qua re fieret, ut in ultimo versus pede collocarentur vocabula vel paroxytona vel pro perispomena, non oxytona, proparoxytona, perispomena.[190]) πηρός igitur vox quoniam interpolatoris fraudem coarguit,[191]) epimythium reicio, praesertim cum non bene cadat in fabulam.[192]) Poëtam enim hac fabula enarranda apparet voluisse nos docere non esse, cur quae non tua virtute (probo scilicet modo), sed aliena potius stultitia usus (turpi scilicet ratione) adeptus sis, ea glorieris. Propius igitur quam epimythium cod. A. versibus inclusum fabulae sensui accedit pedestre promythium paraphrasis Bodleianae: *ὅτι οὐ δεῖ τυφοῦσθαι τοὺς δι' αἰσχρὰ πλουτοῦντας.*

fab. 33.

Sementem postquam fecit agricola sturnos et gracuos semina legentes observabat cum puero fundam

[190]) cf. diss. 'de crasi et aphaeresi' pag. 31. — Recte iam Hochius miratus est, quod haec lex a L. Ahrens detecta et satis aperte ob oculos posita effugit Lachmannum, qui alias artis Babrianae leges ad accentum spectantes nimia interdum subtilitate investigavit.

[191]) caveamus, ne cum Bergkio talia emendare conemur! Qui 'epimythium', inquit, 'satis suspectum, quamquam pro πηρός fortasse πῆρος poterat scribi, ut μωρὸς et μῶρος variari solebat'. (cf. Anth. lyr. (1868) prol. crit. pag. XXV.) Sed effugerunt eum, quae Herodianus, peritissimus ille prosodiae, hac de re disseruit: cf. Herod. ed. Lentz I, pag. 190, quibus verbis Herodiani poëtas πηρός semper oxytonum usurpasse cognosci potest.

[192]) cf. Maehlyum (l. l. pag. 322) et Crusium (in Pauly-Wissowae Real. Encyclop. vol. II col. 2661), qui ineptum huius epimythii sensum perstrinxerunt.

portante. Sturni ubi intellexerunt fundam illum postulare, fugiebant. Quare agricola composito hoc dolo, ut panem peteret ipse, puer non panem daret sed fundam, aves fugabat. Fugientibus obviam fiebant grues, quibus fugae causam exquirentibus respondebat unus graculorum:

22. φεύγετ' ἀνθρώπων
γένος πονηρόν, ἄλλα μὲν πρὸς ἀλλήλους
λαλεῖν μαθόντων, ἄλλα δ' ἔργα ποιούντων.

In hisce ipsius **fabulae versibus ultimis apologi sententiam expressam** patere iam huius in dissertationis parte prima fusius explicavimus (cf. pag. 15). Attamen editores quidam ut Orellius Baiterusque Weisius, Lewisius, Boissonadium secuti epimythium, quod in cod. A. fabulae subiunctum est:

33. 25. ὅτι δεινὸν τὸ φῦλον τῶν δόλῳ τι πραττόντων

receperunt in textum: sanabant autem claudum versum omissa voce ὅτι. Neque vero recte fecisse videntur. Non enim epimythium habes a Babrio versibus inclusum, sed est pedestre epimythium, in quo insunt choliamborum vestigia. De quibus conferas, quae in prooemio quasi huius dissertationis fusius disserui (pag. 1, adn. 3). Recte autem me hac de re iudicasse[193]) demonstratur fabularum versibus 71, 11 et 12 atque 83, 6—8, quarum epimythia similiter a voce ὅτι incipientia spuria sunt carentque metro, qua de re infra agam. Verum ut ὅτι voce deleta versum restituere liceat, tamen post fabulam versuum 24 versiculus ille unus sententiam praebet non vaniloquam solum et vulgarem, sed etiam plane superfluam et

[193]) Lachmannus iam idem videtur sensisse; epimythium enim non cancellis seclusit ut cetera, de quibus dubitaret, epimythia, sed in apparatum criticum recepit, in quo pedestria epimythia cod. A. enumerabat.

otiosam,[194]) cum, ut supra diximus, epimythium expressum pateat in ipsa fabula extrema. Quae cum ita sint, una cum omnibus fere viris doctis hoc epimythium, quod neque in cod. V neque in paraphrasibus legitur, a Babrio abiudico.

fab. 37.

Vitulus liber miserum vocabat taurum, qui laboriose vomerem trahebat. Sed cum rustici abducerent vitulum diis mactandum, taurus ad festam quietem dimissus: 'En', inquit, 'quare liber eras a laboribus! cervicem tuam securis conteret, non iugum.'

Epimythium cod. A.:

37,13. *ἔργοις ἔπαινος, ἀργίᾳ δὲ κίνδυνος.*[195])

spurium esse ex voce *κίνδυνος* intellegitur in extremo versu posita. Violabat enim, qui hunc versum, conscripsit, ignarus scilicet Babrii artis metricae illam legem, qua servata Babrius paenultimae semper versus syllabae accentum imposuit (vide supra p. 114). Caveamus igitur, ne vitium hoc gravissimum et quod leni mutatione certe tolli non possit, conemur sanare, sed interpolatori suum relinquamus, qui haud scio, an idem fuerit, quem simile in vitium incidisse in epimythio fab. 10 supra demonstravimus.

fab. 47.

Moribundus senex filiis concordiam commendaturus allato virgarum fasciculo demonstrat iunctas frangi non posse, facile frangi singulas.

Epimythium, quod exhibet cod. A.:

47, 15. *φιλαδελφία μέγ' ἀγαθὸν ἀνθρώποις*
ἣ καὶ ταπεινοὺς ὄντας ἦρεν εἰς ὕψος.

[194]) similiter Maehlyus l. l. pag. 322.

[195]) sic recte emendavit manus recentior scripturam man. pr. *ἀργία δὲ κινδύνοις* mendo librarii exortam, qui respiceret verba, quae antecedunt *ἔργοις ἔπαινος.*

Babrii non esse primo fere oculorum obtutu intellegitur. Sensus enim omnino non cadit in fabulam. De concordia (*ὁμόνοια, ὁμοφροσύνη, συμφωνία*) agi, non amore fraterno (*φιλαδελφία*) cum ex tota narratione tum ex versibus inde a 10 usque ad 14 (cf. *ὁμοφρονῆτε* in v. 11 et totum versum 13) apparet. id quod intellexerunt paraphrastae,[196]) ignoravit diasceuasta. Babrius si ex hac fabula praeceptum petivisset, dubitari nequit, quin epimythium scripsisset simile ac fab. 85, 19 sq.:

συμφωνία μέγιστον ἀγαθὸν ἀνθρώποις
τὸ δ' ἐν στάσει ζῆν ἀσθενές τε καὶ δοῦλον.

(v. supra pag. 73) vel quod Latini dicunt 'concordia res parvae crescunt, discordia vel maximae dilabuntur'. Versus deinde 16 non minus ineptus est; quid enim h. l. sibi vult sententia illa tumida *φιλαδελφία καὶ ταπεινοὺς ὄντας ἦρεν εἰς ὕψος?* Additamentum est vaniloquum et superfluum.[196a]) Sed piget me tales interpolatoris ineptias copiosius explicare; satis enim apertae sunt et perspicuae, vix ut latuisse eas nonnullis viris doctis credas (veluti Boissonadio, Weisio, Orellio, Lewisio, Bergkio). Epimythium igitur si ullum spurium esse pro certo potest affirmari, hoc ipsum Babrii non est. Quare operae pretium non est versui 15 claudicanti succurrere[197]) aut brevem versus 16 syllabam ultimam coniectura tollere sed epimythium ineptissimum omnibus paraphrasibus ignotum interpolatori relinquamus.

[196]) cf. paraph. Bodl. pag. 17. August. nr. 53, cod. A. pedestre epimythium.

[196a]) haud scio, an christiani cuiusdam diascenastae sit, (monachi?), cuius animo obversarentur illa Lucae nov. test. I. 52 . . . . *καὶ ὕψωσεν ταπεινούς.*

[197]) Boissonadius autem coniecit *μέγ' ἀγαθόν ἐστιν*, probabilius Lachmannus *μέγιστον* (collato fab. 89, 19.).

fab. 50.

Vulpes, quam venator persequebatur, fatigata confugit ad lignatorem et, ut in caesarum se populorum congerie absconderet, petiit. Iuravit lignator se eam non proditurum esse. De vulpe interrogatus a venatore lignator verbis respondet se non vidisse, sed digito locum monstravit. Qua significatione non intellecta venator praeteriit. Vulpi latebris egredienti lignator: 'debes', inquit, 'mihi vitae servatae praemia'. 'Quidni', vulpes respondet, 'qui voce me servaveris, occideris digito?'

Subiunctum est fabulae in cod. A. hoc epimythium:

50, 20. *σοφὸν τὸ θεῖον κἀπλάνητον· οὐδ' ἄν τις*
λαθεῖν ἐπιορκῶν προσδοκᾷ, Δίκην φεύγει.[198])

qui versus non uno nomine viris doctis vehementissime displicebant. Atque primum quidem monuerunt anapaesto *ἐπιορκῶν* in altera versus sede posito fraudem prodi interpolatoris. Quod tamen argumentum non adeo premendum esse ex iis apparet, quae supra pag. 76 exposui. Non igitur necessariae videntur coniecturae Duebneri

λάθοι 'πιορκῶν προσδοκῶν Δίκην φεύγειν

vel *μηδ', ἄν τις*

λάθῃ 'πιορκῶν, προσδοκᾷ Δίκην φεύγειν.

aut Lewisii:

λάθρῃ 'πιορκῶν προσδοκᾷ Δίκην φεύγειν.

ceterum haud ita probabiles esse illas coniecturas vix opus est monere. Altera vero causa exstat, qua commoti viri docti hoc epimythium a Babrio ab-

198) coniectura haec Ahrensii satis probabilis pro *φεύγειν* confirmatur correctione manus recentioris in cod. A., in quo *ν* expunctum videtur. Multo minus coniecturae mihi probantur Boissonadii (— erravit autem, cum esse lacunam coniecit in medio versu 21 perisseque finem cum alterius initio. Nihil desideratur! —), Sauppii, Lewisii.

iudicabant, atque videtur multo gravior. Constat enim versus 20 pes ultimus ex duobus monosyllabis, cuius rei nullum invenitur apud Babrium exemplum; nam iis, quae leguntur fab. 95, 101 et 102, 11 *ἥτις*, fab. 33, 12 et 99, 8 *τοίνυν*, fab. 57, 8 *ὥσπερ* haud scio, an defendatur hoc *ἄν τις*.[199]) Illae enim voculae encliticae cum monosyllabo antecedente quasi in unum coalescunt verbum, haec *ἄν (ἦν)*[200]) *τις* fieri non potest, ut cum illis comparentur. Epimythium igitur satis suspectum esse dilucide apparet. Iam vero aliud accedit, quod vile diasceuastae opus prodit. Sensum si examinaverimus, male cadere epimythium in ipsam fabulam inveniemus. Hoc enim tenendum est sententiam ex fabula petitam ipsa fabula necesse esse confirmetur et explicetur. Quid vero in fabula 50 legitur, quo hominem periurum semper poenas meritas subire vel, ut poëtae verbis utamur, 'Poenam nunquam effugere' demonstretur? Equidem nihil inveni, ex quo lignatorem illum perfidum poenas luisse appareat: quod si narravisset poëta, epimythium fabulae accomodatum esse concederem. Iam inepto plane modo additum esse fabulae epimythium a diasceuasta quodam conscriptum, qui fabulae mente non intellecta verba tantum in v. 18 '*τὸν Ὅρκον οὐ φεύξῃ*' respexerit, quis est, qui neget! Babrius si fabulae epimythium subiunxisset, dubitari non potest, quin eos castigaturus fuerit homines, qui verbis quidem bona atque utilia promittant, re autem improba et mala faciant. Recte autem me hac de re diiudicare testes sunt cum ipsius fabulae versus ultimus tum paraphrases. Quibus ad unam omnibus

[199]) cf. Fici diss. pag. 820 et 826, Eberh. praef. pag. IV, Crus. proleg. pag. XLII.

[200]) *ἄν* h. l. necesse est intellegatur *ἐάν*, *ἦν*; cod A. exhibet ut semper fere *ἄν* pro *ἦν*: cf. fabb. 6, 17; 7, 5; 47, 10; 63, 12.

hoc epimythium cod. A. ignotum est, cuius loco exhibent epimythium id, quod solum recte ex hac fabula possit duci: *τούτῳ τῷ λόγῳ χρήσαιτ' ἄν τις πρὸς ἐκείνους τῶν ἀνθρώπων, οἵτινες τὰ μὲν χρηστὰ σαφῶς ἐπαγγέλλοντας, ἔργα δὲ φαῦλα δρῶσιν* (cf. Corays pag. 70). Idem fere epimythium legitur in duabus aliis apud Coraësium paraphrasibus (cf. pag. 69 et 329.) et in paraphrasi Augustana a Schneidero edita (cf. pag. 13). Similiter etiam pedestri epimythio cod. A, quid sibi velit fabula, explicatur: *εὐκαίρως ὁ μῦθος ῥηθήσεται πρὸς ἐκείνους τοὺς χρηστὰ μὲν ἐπαγγελλομένους, δόλια δὲ καὶ φαῦλα ἐργαζομένους.*[201]) Summi vero momenti est, quod ne Bodleianae quidem paraphrasis scriptor, qui in ceteris fere omnibus epimythiis versibus inclusis cum cod. A. convenit, hoc epimythium fab. 50 ante oculos habuit, id quod ex promythio cognoscitur fabulae in paraphrasi Bodleiana praemisso: *ὅτι οἱ τῶν κολάκων λόγοι πιθανοὶ μέν εἰσιν, οἱ δὲ τρόποι σκολιοὶ καὶ δόλου πλήρεις.* Quae cum ita sint, fieri non potest, ut epimythium Babrio tribuam et metro suspectum (*ἄν τις!*) et sensu ineptissimum, potius suo iure viros doctos proscripsisse[202]) affirmaverim.

fab. 71.

Agricola navem mare ingredientem videns nautis refertam crudelitatem elementi accusat. Quem audiens mare muliebri voce respondet: 'ne me calumnieris: non ego sed venti, quibus ab omni parte cincta sum, causa existunt malorum; sine ventis quieta magis tua tellure.'

Epimythium cod. A:

[201]) cf. Maehlyi comm. pag. 321.

[202]) abiudicaverunt autem a Babrio hoc epimythium una fere voce; ne Weisius quidem, qui valde indulsit epimythiis, retinuit.

71, 11. *ὅτι πολλὰ φύσει χρηστὰ πράγμαθ' αἱ κακαὶ φύσεις τρέπουσιν εἰς τὸ χεῖρον ὡς δοκεῖν φαῦλα.*

Babrii non esse primo fere obtutu intellegitur, et suo iure viri docti ad unum omnes reiecerunt. Ipse Boissonadius, qui in ceteris omnibus epimythiis nihil fere haerebat, de hac affabulatione recte monuit vix Babrii esse debilissimum illud initium *ὅτι κτλ.* et quamquam fortasse scripsisse eum coniciebat *πάμπολλα* vel *ὡς πολλά* sumpto *ὡς* superlativa significatione vel interiectiva, tamen alteram coniecturam recipere veritus est. Et recte interpolatori suum reliquit! Mihi enim est persuasissimum in hoc epimythio similiter atque in epimythiis fabb. 33 et 83 *ὅτι* non librarii errore exortum esse, sed totum hoc epimythium interpolatoris esse, qui, ut erat excultae parum elegantiae, eodem plane modo atque qui pedestria epimythia conscripserint, epimythium suum debiliter a coniunctione *ὅτι* incipere non dubitavit: Accedit, quod qûae leguntur in versu 11, magis solutae orationis similia videntur, in qua vestigia sint choliamborum, quam versui choliambico vere Babriano. Recte igitur Crusius mihi videtur fecisse, qui versum barbarum (11) non correxit.[203]) [septenarius autem est cum iambica clausula (*φύσεις*); nam *φύσις* nomen correpta semper vocali *υ* a poëtis usurpari (similiter a Babrio 32, 10) testis est Morellius (cf. lexicon Graecoprosodiacum, Canterbury 1815, 2 voll)].[204])

fab. 83.

[203]) Correxerunt autem Boissonadius:
ὅτι πολλὰ πράγμαθ' αἱ κακαὶ φύσεις χρηστά
Sauppius: *ὅτι πολλὰ χρηστὰ πράγμαθ' αἱ κακαὶ ψυχαί.*
Meinekius: „ „ „ „ „ „ *χρήσεις.*
Gitlbauerus: „ „ „ „ „ „ *φῦσαι.*

[204]) paraphrases alia praebent epimythia atque cod. A; cf. Bodl. pag. 24, Coraës. pag. 385, August.

Equum aliquis quotidie fricabat pectebatque distracto ad potandum horreo. Cui equus: 'si me cupis pulchrum fieri, alimenta ne vendas.'

Fabulae codd. A et V nobis traditae epimythium subiunctum est in solo cod. A. separatum a praecedentibus et tamquam oratio pedestris litteris quae dicuntur uncialibus scriptum:
ὅτι τῶν καιρίων δεῖ τὸν φιλοῦντα φροντίζειν καὶ συμφερόντων· κόσμος γ· (= γὰρ) οὐδὲν ὠνήσει τὸν ἀποροῦντα τῶν ἀναγκαίων.

Hoc epimythium, quamquam choliamborum vestigia adeo manifesta esse Boissonadio concedo, ut facile versus restituantur, tamen pro certo affirmaverim non habendum esse in numero eorum, quae sint ipsius Babrii. Praeterquam enim quod similiter atque in epimythiis fabb. 33 et 71, quae spuria esse modo demonstrasse mihi videor, debiliter initium capitur a coniunctione ὅτι, aliud exstat argumentum, quo illud non epimythium versibus inclusum esse probatur sed pedestrem affabulationem multis mixtam choliambis, de quibus vide, quae supra contuli pag. 1, adn. 3. Dindorfius enim, qui ipsum cod. A conferendi negotium suscepit, scriptum esse hoc epimythium monuit ut pedestres cod. A affabulationes uncialibus litteris atque separatum a praecedentibus, cum epimythia versibus inclusa litteris qui vocantur cursivis scripta cum ipsis fabulis cohaererent (cf. Philol. vol. XVII (1861) pag. 321 sqq.). Pro certo igitur affirmari potest hoc epimythium, quamvis respondeat sensui fabulae, Babrii non esse sed hominis, qui epimythia a Babrio versibus inclusa imitari conatus quod inceperat ad finem usque non perduxit, ita ut affabulatio existeret choliamborum plena.[205])

[205]) quod vero duae affabulationes pedestres uni fabulae additae sunt, non est, cur mireris. Paraphrases enim si per-

Quae cum ita sint, suo iure Lachmannus Duebnerum secutus, qui 'versibus 5—7 relinquendam esse prosam orationem codicis' monuit, hoc epimythium in textum non recepit (insertum autem invenies a L. ut ceteras pedestres affabulationes adnotationi criticae sub textu).[206]

---

curreris, haud raro uni fabulae duo epimythia invenies adiuncta esse.

[206]) alii viri docti versus restituere conati sunt, quas coniecturas paucis commemorare liceat, ne quid deesse videatur huic de epimythiis Babrianis dissertationi. Scripserunt igitur Boissonadius:

τῶν καιρίων δεῖ τὸν φιλοῦντα φροντίζειν
καὶ συμφερόντων · κόσμος οὐδὲν ὠνήσει,
σάφ' ἴσθι, τὸν ἀποροῦντα τῶν ἀναγκαίων.

Lewisius:

. . . .
. . . . ὤνησεν,
ὦ Βράγχε, ...

Bergkius:

. . . .
. . . . καὶ γὰρ οὐδὲ ἓν κόσμος
ὀνίνησι τὸν . . . .

Gitlbauerus:

. . . .
. . . . ὠνήσει
κόσμος τὸν ἀποροῦντα τῶν ἀναγκαίων.

Crusius:

τῶν καιρίων δεῖ . . . .
. . . . κόσμος οὐδὲν ὠνήσει
τὸν ἀποροῦντα τῶν ἀναγκαίων χρειῶν.

Iam quod propositum mihi erat, usque ad finem perduxi. De epimythiis igitur Babrianis omnibus, quam diligentissime potui, disserere studui et disputare. Summam vero dissertationis ut in extrema commentatione paucis comprehendam: epimythia Babriana partem maximam ipsi Babrio tribui et posse et debere videor mihi demonstrasse. E quibus praeter decem illa epimythia cum ipsis fabulis cohaerentia (6. 20. 33. 57. 58. 66. 69. 70. 74. 112) triginta quattuor genuina censeo (4. 5. 11. 13. 14. 18. 21. 23. 24. 29. 31. 35. 36. 38. 40. 41. 43. 44. 52. 59. 64. 65. 67. 79. 81. 85. 87. 94. 98. 103. 111. 119. 127. 136.), dubia tredecim (9. 12. 22. 34. 56. 60. 72. 82. 84. 96. 107. 116. 140.), certe spuria septem (10. 33. 37. 47. 50. 71. 83.). Si vero in hac quaestione tractanda non semper recte videbor iudicasse, facile spero fore, ut veniam existimatorum aequorum impetrem, quoniam in tali re non errare vix quisquam potest; cuius rei testes sunt viri docti, quos persaepe in uno eodemque epimythio diiudicando vehementer inter sese dissentire demonstravi.

Vita.

Ernestus Hohmann natus sum Non. Jul. anni MDCCCLXXVIII in oppido Borussiae orientalis, cui nomen est Wormditt, patre Josepho, matre Augusta e gente Thiel, quibus adhuc vivis ex animi sententia laetor. Fidem profiteor catholicam. Primis litterarum elementis in scholis publicis et privatis imbutus inde a vere anni pr. saec. XCII gymnasium regium Brunsbergense frequentavi, quod tum floruit Hermanno Gruchot et Martino Wetzel (†) rectoribus; quorum memoriam carissimam hoc ipso loco recolere iuvat necnon ceterorum praeceptorum, qui ibi me litteris erudiverunt. Vere anni XCVIII maturitatis testimonio dimissus per aestatem valetudinem tenuem curavi firmandam atque autumno eiusdem anni academiam Albertinam Regimontanam petivi, ut studiis litterarum Graecarum, Latinarum, Germanicarum me darem. Vere deinde anni MCM Monachium migravi, ubi per unius semestris spatium studiis philologis et archaeologicis operam navabam. Autumno eiusdem anni Regimontium reversus in alma litterarum universitate Albertina per quattuor semestria studiis philologis incubui. Regii philologorum proseminarii Regimontani sodalis ordinarius fui per sex menses, per quinque semestria seminarii moderantibus viris doctissimis Arthuro Ludwich,

Ludovico Jeep, Ottone Rossbach. Praeterea me benigne admiserunt viri doctissimi et liberalissimi O. Rossbach et A. Furtwaengler exercitationibus archaeologicis, Aug. Brinkmann epigraphicis, Lud. Busse philosophicis, Herm. Baumgart et Guil. Uhl theotiscis. Latine et Graece scribendi et loquendi exercitationum participem esse mihi licuit apud Lud. Jeep, Aug. Brinkmann, Joann. Tolkiehn, Ed. Woelfflin, Jv. de Mueller.

Scholas frequentavi virorum doctissimorum:
Regimonti: Baumgart, Brinkmann, Busse, Jeep, Ludwich, Rossbach, Schade (†), Tolkiehn, Uhl, Walter.
Monachi: Christ (†), Furtwaengler, v. d. Leyen, Jv. de Mueller, Weymann, Woelfflin.
quibus viris omnibus gratias ago maximas, imprimis praeceptoribus carissimis Arthuro Ludwich, Ludovico Jeep, Ottoni Rossbach, Augusto Brinkmann, qui semper me opera et consilio optime adiuverunt.

Examen pro facultate docendi a. d. VII. Kal. Febr. anni MCMIV absolvi; ex quo tempore munere fungor praeceptoris gymnasii regii Roesseliensis, ubi linguas doceo praecipue Graecam et Latinam.

Examen quod vocant rigorosum a. d. V. Id. Jan. huius anni superavi.

Restat, ut grato animo commemorem Antonium Kruszewski et Paulum Mohn collegas humanissimos, qui in corrigendis plagulis typis descriptis magno mihi fuerunt adiumento.